N. 50

DISSERTATIO
De
TECHNOPHYSIO-
TAMEIS,
Von
Kunſt- und Naturalien-
Kammern/

Qvam

SVB PRÆSIDIO

VIRI

PRÆNOBILISSIMI, AMPLISSIMI atq; EXCELLENTISSIMI,

DAN. GVIL. MOLLERI,

Comit. Palat. Cæſar. Metaph. & Hiſtor. Prof. Publ. longe celeberrimi, nec non Bibliothecarii Spectatisſimi,

DOMINI, PATRONI & MÆCENATIS ſui nullo non honoris & obſervantiæ cultu ætatem proſeqvendi,

defendere annitetur

ALTDORFI, *An.* MDCCIV. *d.* 26. *April.*

FRIDERICVS SIGISMVNDVS WVRFFBAIN,

Medic. Studioſ.

Literis HENRICI MEYERI, Univerſitatis Typographi.

F. 16. N. 40.

PRÆFAMEN.

INexplebile neſcio, an ſciendi hominibus innatum deſiderium, an inſatiabilis rimandi quæq; & perveſtigandi curioſitas, latius hodie in Orbe obtineat Imperium: Ita enim utriusq; partes ubivis agi locorum videas, ut alterum alterius non immerito dixeris vel ſeminarium, vel ſuſcitabulum. Scire tamen uti ſolum, ſine actionis inde reſultantis, aut exercitii melioris genimine, vix cuilibet probabitur, ita curioſorum aviditati haud ſane alia re, quam ſedulo ſenſuum expeditiorum miniſterio feliciter ſuccurretur. Neutri verò ad inutilia forte nimisq; ſubtilia deſcendenti præbendæ erunt aures, quippe quod neceſſaria plerunq; ignorantur, quia non neceſſaria, hodierni maximè juxta Seculi genium, attendi æq; ac apprehendi ſolent. Quin tamen oculis ſubjecta perſpicacibus, certiorem pariant ſcientiam, quam quæ nudis hauſta ſunt auribus, ambiguum experientiam conſulenti eſſe neutiquam poteſt: quam quidem etiam ob cauſam, picturarum, ſculpturarum, & à Natura pariter Arteq; aliarum quarumvis productarum rerum ſtudioſa & compendioſa hominum oculis ſuggeſtione, Scientiæ comparandæ velificaturi, Technophyſiotamea *inſtruere cæperunt. Quorum ſtructura decenti prudentiæ & rationis moderamine ſuffulta, tantum abeſt, ut ceu noxam vel ſtudiis literarum, vel rei familiari allatura, reprehenſionem incurrat, ut omnigenæ potius pararia dicenda ſit eruditionis, eo minore quidem cum tædio ac temporis diſpendio conjuncta, quo majorem rerum ejusmodi*

concinno ordine diſpoſitarum varietas, curioſo ſuggerit oculo voluptatem, & breviorem, tam multiplex earundem uno quaſi obtutu exhibitus apparatus, viam animo aperit, in fundamentalem Naturalium æq; ac Artificialium Operum notitiam perveniendi. Quibus ſine dubio ilicibus Nobiliſſimus atque Clariſſimus Reſp. Affinis & Amicus meus dilectisſimus, *Argumentum Diſputat. hujus* Technophyſiotamea *elegit, utiliſſimum profecto & contemplatione digniſſimum, ob diffuſam tamen, qua id evagatur, varietatem, & ampliſſimum & intricatiſſimum: breviores igitur, intra quos id ipſum coarctabitur, cancelli, uti paucorum aliquot Capitum limitibus circumſcribent, ita liberum cuivis erit licitumq; pro arbitrio in campo bocce patentiſſimo cogitationibus ſuis indulgere. Nimirum*

> Cuîque ſuum Caput eſt: huîc quod placet, haud placet illî:
> Sîc placet, & placet haud, ſemper în orbe vigent.

Capvt I.

De Technophyſiotamei Onomatologiæ & Pragmatologia.

§. *I.*

T*echnophyſiotameum* vox eſt ex tribus Græciæ Nominibus conflata, quorum *primum* eſt τέχνη, Ars, *alterum* φύσις, Natura, *tertium* ταμεῖον, Promptuarium. *Latine* idem eſſet, ac ſi conjunctim diceretur, *Artis & Naturæ Promptuarium*, ſive, *Rerum artificialium & naturalium promus condus:* Germ. Eine Kunſt- und Naturalien-Kammer/ Zimmer/ oder Gemach. Jure civitatis quidem Romanæ licet nondum ſciam vocabulum illud octoſyllabicum donatum eſſe, quin tamen perquam idoneum ſit, ad congeriem

rerum

rerum artificialium pariter ac naturalium, commodo in loco, decentique ordine ſimul aſſervatarum exprimendam, nemo forſan, niſi prorſus Linguæ Græcæ ignarus, infitias iverit. Sane uti iſti potiſſimum linguæ, hæc præ pluribus aliis linguis proprietas adſcribenda, quod in unam vocem multarum rerum etiam diverſiſſimarum, nomina liceat compingere, ita egregium memoriæ ſubſidium compoſitis ejusmodi vocabulis ſuppeditari, ipſa quemque experientia, me etiam tacente, edocuerit.

II.

Homonymicus ſignificatus non penitus à polyſyllabica illa voce videtur exulare: præterquam enim quod conclavia, in quibus res artificiales æque ac naturales concinne aſſervatæ ſunt, hoc ipſo nomine inſigniuntur, profecto Macrocosmo juxta & Microcoſmo, quin & Oeconomiæ cuivis rite adminiſtratæ id attribui poſſe, extra dubium reor eſſe poſitum: Sigillatim autem ſi voces quoque forent expendendæ, plures adhuc ſignificationes emergerent, ceu quidem ex ſolius *Naturæ*, ut cetera duo jam non attingam vocabula, id cuivis collectu eſt facillimum. Quorſum referas licet, per *Technophyſiotameum* non tam communem heic cum Bibliotheca latiſſime alias ita dicta locum, quam ſeparatum & penitus ab ea diſtinctum Conclave eſſe intelligendum.

III.

Synonymicarum vocum Numerus eo difficilius poteſt iniri, quo magis in arbitraria earundem fabrica ingenia luxuriant: eas igitur duntaxat allatas heîc fuiſſe ſuffecerit, quæ quacunq; ratione ſeſe mihi nunc obtulerunt. Et quidem I. *Græcas* quod attinet, ferè ſunt ſeqq. Τεχνοφυλάκιον, Τεχνοταμεῖον, Φυσιοτεχνοταμεῖον, θαυματοφυλάκιον, Ἐξωτικοθαυματουργηματοταμεῖον, (qua de voce, à *D. Sachſio* primùm excogitata, ad Dresdenſe Elector. Saxon. Gazophylacium ampliſſimum, ampliſſima quoque voce circumſcribendum, Joh. Dan. Majoris in Tr. Germ.

Unvorgreifliches Bedenken von Kunſt- und Naturalien-Kammern insgemein / *C. IV.* jocoſum producere lubet Dicterium hocce: Dieſes iſt ein Wort wol 10 Ehlen lang / wo nicht als der halbe Diameter der Erde: und daß ehe 2 heiße Suppen kalt werden / als man nur einmal ſelbiges ausſprechen ſollte.) quam tamen vocem duabus adhuc Syllabis excedit, Vox Ἐξωτικοτεχνοθαυματουργηματοταμεῖον. Quibus adjungi queunt II. *Græca Vocabula jure Civitatis Rom. donata*, nempe, Gazophylacium, Theſaurophylacium, Theſaurarium, Cimeliarcheum, Tameotheca, Pinacotheca, Technophylacium, Thavmatotheca, Phyſiotameum, Technotameum, Exoticomathium, Technicotheca, Technoplinthium, Abacotheca, Spaniotheca, Apotheca, Conclave phylomatheticum, Muſeum, Archivum, ita enim *Joh. Bapt. Olivus Teſtification. in Muſeum Franciſc. Calceolarii p. 58.* Archivum, ait, Cæſareum meliori rerum ſupellectile abundat, nec quicquam continet, quod non ſit Cæſarea Majeſtate plenum. An verò *Rarithecium* quoq; appellari queat, vel ea de cauſa dubitari poteſt, quod hybridæ ejusmodi voces exulare potius à foro Rom., quam dominari in eo ſoleant, de qua aliàs & ſimilibus duabus è linguis compoſitis vocibus Joh. Dan. Major. cit. loco commentatus eſt h. m. Ich halte dergleichen aus zweyerley Sprachen zuſamengeſetzte Wörter / gleichſam für Grammaticaliſche Baſtarte und Hurenkinder. Hæc ipſa III. excipiunt *Latina* ſeqq. Camera, Conclave, Officina, Conditorium, Repoſitorium, Promptuarium Naturæ & Artis, Conſpectus Artis & Naturæ, Theatrum, Scrinium, Arca. Deinde IV. *Italica* ſequuntur e. g. Il Muſeo, Un Studio, Galleria. Præterea V. *Gallica* occurrunt, ut: Un Gallerie, Cabinet, Chambre des Rarites. Denique VI. ut alias Gentium Linguas non adducam, *Germanica*, ex quibus præcipue ſunt iſta: Kunſt-Kammer / Naturalien-Kammer / Schatz-Kammer / Raritäten-Gemach / Raritäten-Kammer. Apud *Alb. Reimarum* quidem in *Indice novæ Romæ*

A. 1662.

A. 1662. Germanicè typis excuſæ vox etiam Vernunfft-Kammer reperitur, an autem argumento noſtro præſenti exprimendo eadem rectè queat accommodari, aliis non immerito hac vice expendendum relinquitur.

IV.

Ex Synonimicis hisce Appellationibus uſitatiores hodie videntur, *Muſeum*, *Gazophylacium*, *Cimeliarcheum*, *Tameotheca* & *Pinacotheca*. Nimirum *Muſei* vocem adhibuerunt Ludov. *Moſcardus*, Manfred. *Septala*, Vlyſſ. *Aldrovandus*, *Calceolarii*, *Brackenhoferus*: Nomen *Gazophylacii Begerus*, Elect. quondam Palatini Bibliothecarius, pluresque alii uſurparunt, quippe quod præter communem quam ſuſtinet alias vi compoſitionis ſuæ ſignificationem, hanc etiam habet impropriam, ut ſelectarum ex Naturæ Artisque Machina rerum Conclave denotet, hincque *Major d. l. Gazophylacium* heiſt *Philoſophi*ſch ſo viel / als ein Raritäten-Gemach von allerhand ſchön- und auserleſenen fremd- und einheimiſchen natürlichen Dingen. *Cimeliarcheum* vel *Cimeliarchium*, vox quoque eſt ſæpius ab Autoribus aſſumi ſolita, ita tamen, ut nunc *ſtrictiore* in ſignificatu rerum duntaxat magis pretioſarum, nunc *latiore* acceptione, naturalium æque ac artificialium rerum rariorum Conditorium eâdem exprimatur: *Tameothecæ* titulo Cimeliarcheum quondam inſignivit Monachienſe *Georg. Hieron. Velſchius*, Medicus ille πολυμαθέστατος Auguſtanus immortaliſſimus. *Pinacothecæ* vox quamplurimis Autoribus arridens, frequentiore hodie eſt in uſu, quod ipſum animadvertens *Major l. c.* Pinacotheca, inquit, wird von neuen Authoren ſehr gebraucht / und heiſt ſo viel als ein Behaltnus allerhand Sorten Natur- und Künſtlicher rarer Dinge.

V.

Theatri Nomine quando Conclavia ejusmodi inſigniuntur, non *impropriè* & ſenſu Metaphorico id intelligendum eſt, veluti à *Chriſtoph. Mylæo*, *Conrad. Lycoſthene*, *Theod. Zwingero*,

Guil.

Guil. de la Perriere, Stratemanno, aliisque in Librorum ſuorum frontiſpiciis eſt factum, ſed *verè & propriè* Vox eſt ſumenda, pro ſtructura grandiore *vel* arcuata, *vel* ovali, *vel* circulari, *vel* ſemicirculari, *vel* ad formam ambulacri, cujus generis in Baſilicis aut Cœnobiis, circuitus ab ipſis incolis vocantur, ad quatuor latera altis contignationibus exſtructum, in quorum medio cavædia ſit relicta, ſeu ſpatium aliquod menſæ rite diſponendæ, ac deambulationi commode peragendæ, inſerviens. Atque tali in ſignificatione *Theatrum* quoque *Quicchebergicum* eſt accipiendum, cujus Inſcriptiones peculiari quodam Libello comprehenſæ, ante 130 jam annos publicæ luci ſunt expoſitæ, hoc ſub titulo: *Inſcriptiones vel Tituli Theatri ampliſſimi, complectentis rerum univerſitatis ſingulas materias & imagines eximias; ut idem recte quoq; dici poſſit: Promptuarium artificioſarum miraculoſarumq; rerum, ac omnis rari Theſauri & pretioſæ ſupellectilis, ſtructuræ atq; picturæ, quæ hîc ſimul in Theatro conquiri, conſuluntur, ut eorum frequenti inſpectione tractationeq;, ſingularis aliqua rerum cognitio & prudentia admiranda, citò, facilè, ac tutò comparari poſſit.* Autore Samuele à Quiccheberg, Belga. *Monachii*, ex Offic. Adami Berg Typographi A. 1565. in 4t. ſuntque VIII. philyræ.

VI.

Deſcribi autem poteſt h. m. Technophyſiotameum eſt Conditorium rerum Natura Arteque præſtantium, indeq; admiratione non ſolum prudenti, ſed aſſervatione etiam diligenti dignarum, ſecundum ordinem maximè convenientem, in loco apto commodoque ſtudioſe inſtitutum, ut frequentiori & accuratiore earum contemplatione, tractatione & conſideratione, majeſtas Dei Omnipotentis glorificetur, Artificum ingenium celebretur, Naturæ vires inveſtigentur, Proximi ſalus promoveatur, & naturale cuivis homini inſitum ſciendi deſiderium aliquadantenus extinguatur. *Vel ita:* Techno-

Technophyſiotameum eſt Promtuarium rerum naturalium æque ac artificialium, prudenter in loco convenienti diſpoſitarum, tum propriæ, tum alienæ Curioſitati ſuccurrens, & Spectatores ad penitiorem earum indagationem non modo invitans, ſed etiam ad eandem ſtrenue proſequendam, cognitionemque inde fluentem, cito, facile, tuto & jucunde comparandam, manu quaſi ducens.

Cap. II.

De Technophyſiotamei Cauſa Efficiente.

§. *I.*

PRimus Technophyſiotamei *Autor* haud alius, quam DEVS eſt æternus & omnipotens, is enim uti Cœlum Terramq; ex nihilo creavit, ita juxta infinitæ ſuæ Sapientiæ normam ſingulas in iis comprehenſas Creaturas ordine diſpoſuit, elegantiſſimo pariter ac amœniſſimo: pondere quippe, menſura, numero, Deus omnia fecit. Nimirum iſta, quam incolimus, mundi machina, Technophyſiotamium eſt auguſtiſſimum, pretioſiſſimum, variegatiſſimum, aſpectuque bellisſimum ac jucundiſſimum; in eo enim præter Solis, Lunæ, Siderumque ordinatiſſimos meatus, rerum quarumlibet creatarum claſſes ſapientiſſime digeſtas, egregium *Cimeliarchii Divini* exemplar exhibere, nemo non lubens aſſeruerit: cujus etiam ſine dubio intuitu *Jac. Ad. Herrnſchmidt* in Opuſc. cui Tit. Cantzel-Diſcurs von GOttes Mäuſe-Regiment tradidit ſeqq. Die Erde iſt und bleibet GOttes Kunſt-Kammer/ ja ſein eigen/ ſamt allem was drinnen iſt. Pſ. 24. verſ. 1.

II.

Poſt Deum *Naturæ*, vi primæ à Deo ipſi inditæ benedictionis, locus non immerito erit aſſignandus, quippe quæ ordinatiſſimo & ſelectiſſimo complexu, innumerabilem re-

rum diſtinctiſſimarum varietatem vaſtiſſimo ſuo ſinu, in Minerali, Vegetabili & Animali Regno ſolicite aſſervat: cujus etiam ſtupendo prorſus effectui Sirenum Ope Operaque ædificata in diffitiſſimis Oceani littoribus Technophilacia non injuria quis adjudicaverit, in quibus præter Conclavia, Cubilia, & Receptacula, rebus multiplicibus cuſtodiendis aptisſima, ex Conchis, Conchiliis, Teſtisque Animalium aquaticorum artificioſe conſtructa, inſignem quoque, rerum mirabilium ordine diſpoſitarum congeriem, licet reperire. Scilicet

Æther non tot alit, nec Tellus horrida Monſtra,
In Cryptis abdunt quot Vada ſalſa ſuis.

III.

A Deo & Natura Technophyſiotameum ita inſtructum & in diſtinctas infinitarum ſpecierum areolas, ſapientiſſimè diſtributum, *Adamus* deinceps tam accurata, quiditativa, expreſſiva, emphaticaque Nomenclatione inſignivit, ut quorundam juxta opinionem, ſolo nominum illorum genuino percepto ſenſu, fores ad intima Rerum quarumvis penetralia latiſſime patuerint. Cui præterea annumerandam eſſe dixerim elegantiſſimam *Adamicæ Oeconomiæ* diſpoſitionem, quippe quæ res quaslibet, ad familiæ commode ſuſtentandum ac dirigendum corpus neceſſarias, decenti adeo ſerie digeſtas, comprehendebat, ut quotidiano non minus uſui egregie inſervirent, quam adſpicientium in oculis pariter ac animis haud exiguam vanamque gignerent delectationem.

IV.

Arcæ Noachicæ cur Technophyſiotamei appellatio adimenda ſit, perſpicere nequeo: in ea certè præter admirabilem Arcæ ipſius fabricam, jucundiſſimum fuiſſe debuit, cernere omnis generis Animalium greſſilium, reptilium, & volatilium, non tantum in ſua cuique convenientia loculamenta

inſti-

inſtitutam collocationem, ſed alimentorum quoque, in hominum, & cæterorum animantium gratiam, juſto ordine factam diſpoſitionem. Qua de operæ pretium fuerit conſulere Jeſuitam, Lingg. Oriental. & Scientiar. Mathemat. gnariſſimum, olim mihi Romæ commoranti perfamiliarem, *Athanaſ. Kircherum*, qui in libro de *Arca Noë* Cap. ſingulari, typo ſimul ſtructuræ loculamentorum eleganter æri inciſo adjecto, eandem egregie delineatam repræſentavit.

V.

Salomon Rex ille Judæorum ſapientiſſimus *Technophyſiotameum* quin poſſederit excellentiſſimum, rebusque peregrinis, raris, pretioſis, ſtupendis, & admirandis refertiſſimum, in dubium haudquaquam vocavero: Licet enim expreſſa illius in S. Codice non fiat mentio, per bonam tamen conſequentiam facile probari poteſt, eum Gazophylacium ejusmodi poſſediſſe. Enimverò negari nequit, illum ipſum ex longinquis, & maxime remotis Regionibus varia ad Magnificentiam non minus regiam, quam adminiſtrationem Oeconomicam apprime facientia ſibi afferri curaſſe, quin & eidem ab exteris quibusdam & peregrinis Regibus, muneris doniq; loco, Aromata, Aurum, Argentum, Ebur, Vaſa artificioſe elaborata, Veſtimenta, Myrrham, Equos, Pſittacos, Pavones, aliaque exotica, fuiſſe transmiſſa: quæ ſane omnia tantum abeſt, ut negligenter, confuſe, & hinc inde in angulis disjecta, diſperſa, & diſſeminata jacuerint, ut potius ſingula ſingulis ſuis locis & receptaculis commiſſa pulcherrimo ordine digeſta, & ſingulari cura aſſervata, admirabilem Poſſeſſoris Regii prudentiam, ſapientiam, & opulentiam declararint.

VI.

Ezechiam Judæorum Regem pientiſſimum, quo minus à Technophyſiotamei poſſeſſoribus excludam, vel illa S. Scripturæ de ipſo fidem fecerit aſſertio, verbis ap. *Eſai. C. 39. v. 1. & 2.* prolata ſeqq. Tempore illo miſit *Merodac Baladan, filius*

Baladanis Rex Babyloniæ literas cum munere ad Ezechiam, audiverat enim ægrotaſſe, & confirmatum eſſe. Quibuscum lætatus Ezechias, oſtendit eis totum *Gazophylacium* ſuum, Argentum, & Aurum, & Aromata, atque Oleum præſtantisſimum, totamque domum vaſorum ſuorum, denique quicquid inveniebatur in Theſauris ſuis: Non fuit quicquam quod non oſtentaret eis Ezechias, in domo ſua & in tota ditione ſua.

VII.

Vti autem adornatio, inſtructio, fundatio, præparatio & erectio Technophyſiotameorum, primis quidem illis, & antiquis temporibus, propria fere fuit Principum, Magnatum, & Opulentorum hominum, ita deinceps Eruditorum, & aliorum quoque eorundem amore flagrantium virorum cura laborque in iis quocunque modo excitandis & concinnandis deſudavit. Quam maxime autem, hac noſtra præſertim ætate, maximos, medioximos, & minimos in hoc Studiorum & Curioſitatis ſtadio decurrere, experientia tantum non quotidiana edocemur. Videre enim hinc inde locorum licet, etiam privatos intra parietes, & apud tenuioris ſortis homines, rerum ſelectiorum tam naturalium quam artificialium, conclavia, muſea, repoſitoria, conditoria, thecas, ſcrinia &c. non quidem completa, abſoluta, referta, plena, abundantia, & rite ſemper diſpoſita, ſpectatu tamen nequaquam inamœna, cognitione indigna, aut ſcitu inutilia.

CAP. III.

De Materia Technophyſiotameorum.

§. *I.*

Αδυύατον prorſus eſſe enumeratione quadam abſolutiſſima res univerſas Technophyſiotameo inſerendas, *vel* cogitatione complecti, vel ſcriptura exprimere, nemo non, credo,

do, mihi facilè adſtipulabitur, præterquam enim quod tanta earum copia & varietas ubique ſe offerat, ut ex Labyrintho citius, quam ex iis ipſis pedem quis extulerit, profectò ingenia etiam hominum, pro ampliore vel parciore ſibi comparata rerum notitia, nunc in iſta, nunc in alia ferri, & modo in hæc, modo in illa propendere animadvertas. Ut jam nihil dicam de neglectu plerumque rerum vulgarium, quæ vel ſolam hanc ob cauſam vileſcentes, nullo in pretio aut æſtimio ponuntur, ac proin nulla prorſus cura, indagatione, cuſtodia, & conſideratione digna reputantur. Et licet ampliſſima materiæ ejusmodi ſeges alicui nota foret, cujus amabo ætas hominis, quantumvis locupletiſſimi, feliciſſimi, prudentiſſimi, & diligentiſſimi ſuffecerit, ad eandem penitus colligendam, acquirendam, aſſervandam, & ordinandam?

II.

Poſthabita autem omni difficultate, nihilominus Autores aliquos eo curas ſuas intendiſſe, reperio, ut certum quendam ad numerum Res Technophyſiotameis principaliter inferendas reſtringere laborarent: Non eo quidem fine, quaſi intra eundem unice foret ſubſiſtendum, neque plus ultra progrediendum, ſed ne occaſio deeſſet, materiam maximè convenientem, idoneam, utilem & neceſſariam inquirendi. *Catalogi* igitur ſive Indicis alicujus confectionem valde proficuam eſſe arbitrarer, ad Opus ejusmodi & feliciter inchoandum, & felicius propagandum, & feliciſſime perficiendum, in quo ſtudioſe conſignata ſint, ſingularum rerum Muſeis inſerendarum Nomina, ſerie quidem duntaxat alphabetica: Utut enim me non lateat, Methodum ejusmodi elementarem, tanquam minus accuratam aut ſcientificam, à pluribus hodie improbari, in defectu tamen melioris, quæ à quibusdam quidem magno oris hiatu promiſſa, ſed nondum manifeſtata eſt, quin hoc Catone interea contenti eſſe queamus, dubio pene carere dixerim.

III.

Cum autem Technophyſiotamea *partim* publica ſint, *partim* privata: certe quilibet perſpiciet, in *publicis* majorem ſemper ſpem ſupereſſe, ad perfectionem aliquam materiæ colligendæ aſſequendam, quam in *privatis*; uti enim *publica* una cum rebus publicis, in quibus conſtituta ſunt, perpetua quaſi fiunt & nunquam reipubl. deſinunt eſſe, ſi ſemel cæperint; quin aucta identidem amplificantur, propagantur & conſervantur, neque corruptioni, abolitioni, diſtractioni atque interitui voluntario facilè obnoxia ſunt, ita *privata* ex adverſo poſſeſſoribus ſuis orbata, & alium atq; alium ſubinde Dominum ſortita, variis fortunæ vicibus & ingenii conditionibus ſunt expoſita, atque raro uno eidemque loco conſtanter addicta: quid quod qui locupletes fere ſub initium ejusmodi rerum collectionis fuere, temporum deinceps calamitatibus, aut fortunæ novercantis inſultibus adacti, pretio ſæpe viliſſimo easdem, rei nempe ſui familiari conſulturi, divendere cogantur: ut de aliis jam periculis, incommodis, caſibusque, privatorum plerumque Technophyſiotameorum comitibus, nihil amplius commemorem.

IV.

Enimverò neſcio, an à veritatis tramite penitus aberravero, ſi quicquid in orbe univerſo ulla ratione obvium habetur, *ſive* Naturæ, *ſive* Artis parenti natales ſuos debere aſſeruero. Nimirum uti juxta diſtichon illud vulgatiſſimum:

Summus Ariſtoteles, trutinando cacumina rerum,
in duo diviſit quicquid in orbe fuit.

Ita quo minus, pari fere ratione, in duo, *artem* nempe & *naturam*, Res quælibet mundanæ dividendæ ſint, nihil prorſus obſtare video. Quamobrem ad materiam quoque Technophyſiotameorum quod attinet, ipſisſimam certe juxta vocis ſignificationem, præter *naturæ* & *artis* opera, de nullis

aliis

aliis eo inferendis ſuſcipi poteſt aut debet cogitatio: Quippe quæ ſola ſunt, quæ non tantum admirationem in animis hominum excitant, ſed quæ ortum etiam ex eadem ſciendi, inveſtigandi atque perſcrutandi accendunt deſiderium.

V.

Naturalium Operum communiſſima eſt in tria Regna, *Minerale*, *Vegetabile* & *Animale* diſtributio, quibus ſi *quartum* quis, *Mixtum* nempe, aut *Anonymum*, addere, exemplis quidem rebusque fortè ita flagitantibus, voluerit, non multum adeò illi refragabor: Satius eſſe exiſtimans in rebus placide conſpirare, quam de verbis inutiliter altercari. Itaque opera ſedulo danda erit, ut ſingulis ex Regnis ea potiſſimum conquirantur, *quæ vel* raritate, *vel* pretioſitate, *vel* utilitate, *vel* jucunditate, *vel* neceſſitate, *vel* elegantia, *vel* deformitate, *vel* enormitate, *vel* ſubtilitate, *vel* alia quavis de cauſa, ſi non ſtatim eximiam admirationem, ſolicitiorem tamen mereri videntur inquiſitionem, attentionem & contemplationem.

VI.

Artificialia quo magis naturam imitatione ſua expresſisſe videbuntur, eo potior iis in ſtudioſa ejusmodi rerum congerie locus erit aſſignandus: quamvis nec illis ſtationem ibi denegandam cenſeam, quæ quovis alio modo ab Artificum ingenio ac induſtria profecta ſunt. Et licet in minori plerunque forma reponi ſoleant & aſſervari opera artificialia, grandiore tamen nihil prohibet quo minus eadem quoq; forma cuſtodiantur, & in ipſo ſuo Archetypo ſpectatoribus exhibeantur: præſertim ſi conclavium & capacitas & numerus id permiſerit; ſæpe enim his deficientibus, ſimulacra duntaxat Operum, eaque minoris formæ, in proſcenium adducere neceſſe eſt. Aliter autem longe cum illis rebus comparatum eſt, quæ ob minimam, tenuiſſimam, & ſubtiliſſimam, qua præditæ ſunt, formam, laudem non minus ac admirationem conſequuntur.

VII. Cui

VII.

Cui tandem materiæ ſigillatim & præcipue colligendæ ſtudium impendendum ſit, haud facilè definiverim: reperias quippe aliquos, qui *Naturalium* æſtimatores, in ea unice inquirenda & acquirenda incumbunt, Artificialibus ſusque deque habitis, vel ſaltem non magni adeò facientibus: contra nonnullos *Artificialium* rerum comparandarum deſiderio videas flagrare, Naturalibus haud pari cura congerendis intentos. Hinc aliquorum, præſertim Medicorum, in *Muſeis Anatomicis* conſtituendis potiſſimum induſtria deſudat, ceu *Bilſiana*, *Nukiana* & *Ruyſchiana Muſea Anatomica* id ſatis ſuperque atteſtantur: *Aliorum* labor in Muſeis, *vel* generatim, quorumvis inſectorum, *vel* ſpeciatim papilionum, erucarum, muſcarum, cicadarum, idque genus particularium beſtiolarum erigendis eſt occupatus: *aliorum* ſtudia circa Muſea animalium & vegetabilium ſingulari balſamationis liquidæ beneficio conſervatorum adornanda verſatur: alii aliis materiis Muſea replendi deſiderio tenentur: prout nempe cujusque animus in hujus vel illius materiæ colligendæ cupiditatem abreptus fuerit, eatenus, modo his, modo aliis rebus Conclavia & Muſea videre licebit abundare: raro enim, & pene dixerim, nunquam, paritas earum obſervata fuiſſe deprehendetur. Equidem *Quicchebergius*, Belga, in Theatro ſuo ante centum ferè & quinquaginta annos typis publicis exſcripto promiſit, ſe *Myriades* aliquot publicaturum, quæ omnium materiarum ſpecialem quandam enumerationem continerent, ſed lucem eas aſpexiſſe, nondum hactenus potui comperire. Interea tamen non eſt, quod dubitem, *Officinam Joh. Raviſii Textoris*, opem ejusmodi collectioni Materiarum inſtituendæ ferre poſſe prorſus egregiam; quin & ex ſeq. Capit. aliquali tantum inſpectione, haud exiguam in omnigenæ materiæ Technophyſiotameis inferendæ cupidum redundare poſſe arbitror utilitatem.

CAP. IV.

Cap. IV.

De Forma Technophyſiotameorum.

§. *I.*

PEr *formam*, uti nihil aliud quam Diſpoſitionem, Tacticam, Ordinem, Seriemq; rerum in Conclavibus prudenter collocandarum velim intelligi, ita dubium eſt, accurate adeo, concinne, pleneq; , ceu quidem res ipſæ efflagitant, eam poſſe inſtitui. Sane in hunc usque diem, nullum reperire in orbe iſto habitabili licuit Technophyſiotameum, quod ſecundum eas delineationes, quas quorundam ingenia eleganter non minus quam prudenter produxere, penitus fuiſſet adornatum: quo enim curioſius & copioſius generalia talium Camerarum Inventaria, Ideæ, Delineationes, Adumbrationes ad cogitandum Philomuſis proponuntur, eo difficilior, impeditior & operoſior eſt ad earum adornationem, impletionem, & executionem transitus: ut adeo verba heic valere putem, quæ *Joh. Dan. Major* idem prorſus verſans ſaxum *cit. loc.* protulit Germanica: Aber ich vergnüge mich mit deſſen ſüßen Einbildung mehr / als daß es ſolte von jemand können zu Stande gebracht werden. Equidem me non fugit, dictum *Majorem* in Univerſalis cujusdam Inventarii Rerum in Natura præcipue rariorum & notatu digniorum accuratiſſime diſponendarum, & prudentiſſime digerendarum elaboratione fuiſſe occupatum, ceu quidem id ipſum ex verbis ejusdem *d. loc.* prolatis clariſſime pateſcit hisce ſeqq. Mein Abſehen gehet dahin / ein Univerſal Inventarium der Merckwürdigſten Natural-Raritäten in einer noch ſonſt nie verſuchte oder zu Tage gebrachter Ordnung zu ſtifften. Sed hoc opus in effectum ab eo deductum fuiſſe, non memini me vel legiſſe, vel fando ſaltem accepiſſe.

II.

An vero aliquoties jam memoratus *D. Major* primus omnium extiterit, qui *Tacticam Technophyſiotameorum* typis

publicis excudi curaverit, ipſe quidem in dedicat. Tract. Vorſtellung etlicher Kunſt- und Naturalien-Kammern in Italien/ dubitanter licet, verbis profeſſus eſt ſeqq. Die Tactica Conclavium, d. i. die Wiſſenſchafft/ wie Kunſt- und Naturalien-Kammern recht eingerichtet werden ſollen: welche zu einer neuen und abſonderlichen Diſciplin zu machen/ **ich vielleicht der Erſte bin**/ der ſolches in offentlichen Schrifften verſucht. Sed enim ſi non aliter in diſciplinæ formam Tactica Technophyſiotameorum ab eo redacta eſt, quam nuda & ſimplici modorum quorundam recenſione, ſecundum quos res quælibet aſſervandæ in claſſes ſuas digerendæ ſint, ceu quidem id in Tract. ejus, **Unvorgreifliches** Bedencken von Kunſt- und Naturalien-Kammern insgemein/ *Kilonii impreſſ. à Joach. Reumano Acad. Typogr. in Fol. parv. non addito impreſſionis anno*, generatim factum eſt: profecto jam dudum ante, pæneq; ſeſqui anteSeculum, Belgam quendam *Samuel. à Gviccheberg*, Inſcriptiones vel titulos Theatri ampliſſimi, complectentis rerum Univerſitatis ſingulas materias & imagines eximias, *Monachii Anno 1565. in 4t.* in ſalivam Eruditorum emiſiſſe, ipſe liber omnium oculis expoſitus ſatis ſuperque teſtatum facit: Quid quod idem ille *Qvicchebergus* in Theatro iſto promiſerit, Myriades, quæ omnium pene materiarum ſpecialem enumerationem in ſe comprehenſuræ ſint, quas tamen editas fuiſſe dubito, certe me ſaltem adhuc latet.

III.

Cumq; liber iſte paucorum ſit in manibus, operam credo me minime luſurum, ſi depromtam ex eo totius Theatri delineationem, diſtinctos quosdam ad paragraphos reſtrictam, heîc propoſuero. Nimirum *univerſum Theatrum Qvicchebergicum* in V. Claſſ. eſt diſtributum, quarum quælibet peculiares ſuas continet Inſcriptiones: Et quidem *Ima Claſſis* habet Inſcriptiones *decem*. h. m. (1) *Tabulæ ſacrarum hiſtoriarum*, Biblicarum æq; ac aliarum quarumvis Chriſtianarum, tam pictæ,

quam

quam ſculptæ, aut alio quovis artificio factæ. (2) *Genealogia Fundatoris Theatri,* quæ Gentis ſuæ univerſæ, & Affinitatis propinguioris ordinatam numerationem continet. (3) *Effigies Fundatoris Theatri,* diverſarum ætatum, tum & ejus parentum, cognatorum, & anteceſſorum in Officiis effigies, partim pectoretenus, partim integræ ſtaturæ. (4) *Geographicæ tabulæ,* eæque univerſales & particulares, marinæ, & chorographicæ, ſpeciatim Regionis vel Territorii tabula, in quo Gazophylacium aſſervatur, & quidem Tabula illa ſit amplior, illuſtrior, & ſumtuoſior. (5) *Vrbes pictæ,* in Europa, Imperio, Italia, Gallia, Hiſpania &c. tam Chriſtiani, quam exteri Orbis regionibus illuſtres: item Archipoles, aut aliæ inter reliquas celebriores, aut etiam Palatia, Arces, & Domus inſigniores. (6) *Imagines Expeditionum*, Bellorum, Obſidionum, inſtructarum Acieum, Navmachiarum, Pugnarumq;, vel noſtro, vel priſcis temporibus ſpectatarum, aut uſurpatarum, glorioſarum, & ob varios eventus quosdam, rerumq; peritiam notabilium. (7) *Spectacula*, Triumphi, Feſtivitates, Ludi, & aliæ ejusmodi actiones, quæ usquam imagine aliqua exprimi poſſunt, ut Certamina equeſtria, Celebritas conceſſorum Regalium, Ritusq; alii veteres & novi; itemq; Certamina gladiatoria, navalia, ſagittariorum, ludicraque. (8) *Animalium grandes picturæ*, e. g. Rariores depicti Cervi, Apri, Leones, Urſi, Fibri, Piſcesq;, tam fluviorum quam oceani, & quæcunque Gazophylacii poſſeſſoris regio profert, præter communem uſum memorabilia, aut quibus forte caret, ita, ut ob raritatem pictura in pretio habenda ſit. (9) *Ædificiorum exempla* ex arte fabrili, e. g. Domorum, Arcium, Templorum, Urbium, Caſtrorum, Munitionum, ex aſſerculis, chartis, pinnulisq; combinata, & coloribus forte ornata: item naves, vehicula, ſcalæ, fontes, arcus, pontes, & aliæ ſtructuræ exilibus formulis proditæ. (10) *Machinarum exempla minuta*, e. g. ad aquas hauriendas, ligna in aſſeres disſecanda, grana comminuenda, palos impellendos, naves ciendas, fluctibus reſiſtendum &c.

IV.

IIda *Claſſis* inſcriptionibus abſolvitur hisce *undecim:* (1) *Statuæ lapideæ*, tum antiquæ, tum novæ, Cæſarum, Regum, Illuſtrium Virorum, Divorum, Numinum & Animalium quandoque: eæque tam ligneæ & argillaceæ, quam marmoreæ aut æris cujuscunque: item fragmenta capitum, manuum, crurium, truncorumque. (2) *Fabrilia artificioſa opera*, ex quocunq; metallo confecta, e. g. Aurifabrorum, Orichalcifabrorum, Horologiariorum, Enſifabrorum, & aliorum præſtabilium Artificum, ex quibuscunque metalli mazis aut laminis, vel è ſculpendi, vel ſundendi arte aliquid producentium. (3) *Artificum opera omnis generis*, ex ligno, lapide, gemmis, vitro, telis, aliisque materiis diverſiſſimis: Producta ex arte tornatorum, plaſtarum, ſubtilium ſculptorum, vitri artificum, acu pictorum, textricum, & ejus generis alia artificia tractantium. (4) *Supellex ingenioſa* & admiratione digna, vel ob raritatem, vel ob loci aut temporum intervalla, à quibus petita ſunt: ea vero præcipue minuta & elegantior; niſi & aliquando quædam grandior, ad cognitionem peregrinorum rituum & operum conducere poſſit. (5) *Vaſa peregrina*, metallica, figulina, ſculptilia, ligneaque, & forma multum differentia, partim ex antiquis ruinis effoſſa, partim procul allata, vel ſaltem in regione, in qua Gazophylacium eſt, minus uſitata: item quædam Templorum vaſa, & antiquorum ſacrificiorum. (6) *Menſuræ, pondera*, ulnæ, pedes, & Geodætica omnia, in diverſis regnis ac rebus publicis uſitata: omnino quæ ſunt liquidorum, aridorum, ſpatiorum, agrorum, fodinarum, fontium, & aliarum rerum. (7) *Numiſmata vetera & nova*, e. g. tam Romana illa antiqua, quam alia peregrina & domeſtica, à Proavis & Atavis Regibus, Principibusq; cuſa, ob eorum hiſtoriam & inſignia asſervata: ſunt autem aurea, argentea, ærea, vel cuſa, vel fuſa, vel ſculpta, vel impreſſa. (8) *Effigies monetis aſſimiles*, metallicæ, lapideæ, ligneæ, cereæ,

gypſa-

gypſatitiæ &c. Regum, Principum, Optimatum, Matronarum, Hominum bello Illuſtrium, Doctrina clarorum, artificiis probatorum, quædam etiam cum averſis partibus, ubi ſic forte offeruntur. (9) *Symbolica ſigna:* & illa inſtar Monetarum, ſculptilia, fuſa, cuſa, impreſſa, ac arroſoria arte prodita: quando cum effigiebus non cohærent, ſed earum quaſi partes averſæ, peculiari titulo aſſervantur, ex materia eadem, qua effigies aut monetæ. (10) *Aurifabrorum formulæ minutæ,* ad imagunculas ſacras & profanas, ad Altaria, Vaſa, Monilia, Supellectilemque pretioſam, undique formam particulatim ſuggerentes: inter quæ & Ornamentorum formulæ frondoſæ, floridæ, belluatæ, conchiliatæ, volutatæ &c. (11) *Impreſſoriæ cupreæ formulæ,* in quibus imagines excellentes in plano inciſæ, vel arroſoria arte inſitæ, quæ hiſtorias, effigies, inſignia, emblemata, architecturæ exempla, & innumerabilis argumenti formas, pro ingenio cujusq; fundatoris ſive poſſeſſoris Gazophylacii continent, exhibentque.

V.

IIItia *Claſſis* Inſcriptiones quoque continet *undecim:* (1) *Animalia miraculoſa & rariora,* e.g. raræ aves, inſecta, piſces, conchæ, &c. ex terra, mari, fluviis, montibus, ſilvis, & aliis locis producta; eaque vel particulatim, vel integra, à corruptione quovis modo vel conditione conſervata & exſiccata. (2) *Animalia fuſa,* e.g. ex metallo, gypſo, luto, facticiaq; materia qualicunque: qua arte apparent omnia viva, e.g. Lacertæ, Angues, Piſces, Ranæ, Cancri, Inſecta, Conchæ, & quicquid ejus generis eſt, quibus poſtremum coloribus ferè ſubvenitur, ut vera eſſe putentur. (3) *Animalium majorum partes,* nec non & minorum, ſi quæ memorabiles, e.g. Cornua, roſtra, dentes, unguiæ, oſſa, innati lapides, pelles, pennæ, ungues, exuviæ, & quicquid eſt reliquarum partium, quod aliquam varietatem afferre poteſt. (4) *Sceleta varia,* ſeu, Oſſa combinata, e.g. Viri, Fœminæ, Simii, Porcelli, Avium, Ra-

narum, aliorumq; differentium: Item ad formam hominis partium facta quædam artificioſe, e. g. humani oculi, cum ſuis tunicis, aures, nares, manus, &c. (5) *Semina*, *fructus*, legumina, grana, radicesque ſemina ſupplentes, & quæ materialia hujus generis dicuntur: quæ ſaltem aſſervatu commoda, & ſpectatu jucunda, ob naturæ varietatem, vel appellationum diverſitatem. Prærogativam heic quandoq; habent peregrina, miraculoſa, odorata. (6) *Herbæ*, *flores*, ramuſculi, termites, cortices, ligna, radices, &c. hæc quidem exſiccata, vera & ſelecta, per claſſes diſpoſita: aut ejusmodi metallo fuſa, aut ſerico texta, aut nova quadam arte depicta: heic & lignorum genera omnia particulatim aſſervantur. (7) *Metalla & metallicæ fodinarum materia*, tumq; veræ radices metallorum, & mineræ, cadmiæq;, &c. item eodem modo ſolidæ venæ puriſſimorum metallorum. Denique artificio iſta omnia imitata, & Metalla ignem gradatim experta, aliaq; plus, alia minus excocta ſegregataqve. (8) *Gemmæ, lapidesq; pretioſi*, e. g. Adamantes, Sapphiri, Smaragdi, Rubini &c. item Gemmarum fluores pellucidi, tam crudi, quam politi, & ſimiles materiæ reſplendentes. Atque horum quædam leviter auro intexta, ut in Armilia, Inaures, Frontalia, Torques, accommodentur. (9) *Lapides inſigniores*, poſt illos pretioſos, e. g. inſigniora marmora, jaſpides, alabaſtri, &c. itaq; marmor porphyrite, Dionyſium, Ophiticum &c. hæc quidem non pellucida, ſed valde ornata: ſunt & Medicinales h. l. non pellucidi, e. g. Hæmatites, Ætites, Magnes, Theamedes, &c. (10) *Colores & pigmenta*, e. g. Colores fuſorii, friabiles, minerales, aquei, oleagini, vitrei, &c. ad metalla, gummi, ceras, ſulphura, ligna, ebur, telas, lanas, inficiendas, pingendas, colorandasq;: ubi peculiares ſunt capſulæ oleo temperatorum, aliæ aqua gummeata deliburorum. (11) *Terreæ materiæ & Succi*, tam ſpontanei, quam factitii & excocti, aut alicubi adhæreſcentes: e. g. boli, cretæ, argillæ, glebæ, & aliæ coloratæ

terræ.

terræ: Item vitriola, alumina, ſales, terreiq; lapides & tophi. Deniq; materiæ ſtillantium thermarum, ſpecuumque.

VI.

IV*ta Claſſis* Inſcriptiones pariter habet *undecim* ſeqq.: (1) *Inſtrumenta Muſica*, e. g. tibiæ, fiſtulæ, organa, cornua, litui, tubæ, &c. item fidiculæ, teſtudines, citharæ trigonales & teſtudinatæ, Clavicordia, tympana, nablia, & multa alia genera ad ſuos Choros conjunctim vel diviſim pertinentia. (2) *Inſtrumenta Mathematica*, e. g. Aſtrolabia, Sphæræ, Cylindri, Quadrantes, Horologia, Baculi geometrici, & alia ad dimetiendum, terra mariq; bello paceq; uſurpanda. Item corpora regularia multiplicis formæ, pulchre transparentibus tigillis combinata. (3) *Inſtrumenta & ſupellex ſcriptoria, pictoriaq;*, e. g. membranæ, chartæ, tabellæ, pugillares, calami, ſtyli, typi incuſorii, colores ſcriptorii, circini, regulæ, raſtra, & multa hujus generis alia, in capſulas ſuas diſtributa. Tum & commodiſſima pulpita, ſcrinia, thecæ. (4) *Inſtrumenta violenta*, e. g. ad pondera graviſſima levanda, ad infringendas portas, cardines, ſerras, &c. Item conducentia attractioni, vectioni, impreſſioni: item, ad aliquò commode adſcendendum, navigandum, natandum, volatum ſimilandum. (5) *Inſtrumenta officinarum & tabernarum laboratoriarum*, quæ ab artificioſioribus Artificibus uſurpantur, e. g. Inſtrumenta ſculptorum, tornatorum, aurifabrorum, fuſorum, fabrorum lignariorum, aut omnium denique Artificum, quos alit orbis. (6) *Inſtrumenta Chirurgica & Anatomica & Comptoria*, e. g. Forfices, Phlebotomi, Terebella, Serræ, Syringes, Manicæ, Novaculæ, Specula, Pectines, Perſpicilla, Auriſcalpia, & omnia quæ ſuggerit locuplete numero Chirurgia, quæque tractant Aliptæ, Coſmetæ, Tonſores, Balneatores. (7) *Inſtrumenta Venatoria, & quæcunque* ruri ac in hortorum cultura neceſſaria ſunt, e. g. quæ ſerviunt etiam aucupiis & piſcationibus, ſaltem ingenioſa, ut fiſtulæ ad aves, titubæ ad cervos, & ad piſces

ſces hami, tridentesque &c. ſed & multa alia ad plantandum, putandum, ſarriendum, terramque colendam. (8) *Inſtrumenta luſoria*, tum & exercitii ingenioſi & jucundioris, & ad agilitatem corporis præcipue pertinentia, e. g. Schachorum ludus, diſcus, pila, pyramides, aſtragali, trochi, telenon, globi, jacula, ſphæræ: & in admirationem pertrahens ſimpliciores, geſticulatorum Aſcopera. (9) *Tela gentium peregrinarum*, & alia rariſſima aut commodiſſima arma: ut, acinaces, arcus, baliſtæ, jacula, pharetræ, coryti, fundæ &c. & quicquid ita rarum, ut non minus ad admirandum theſaurum, quam ad inſtructum Armamentarium videatur transferendum. (10) *Veſtitus peregrini*, e. g. Indiani, Arabici, Turcici, iique rariores: atque aliqui ex plumis pſittacorum, ex tela, vel textura qualibet mirifica, vel corio varie conſuto, vel carduelium plumis rubris ex capite deſumtis &c. it. minuti veſtitus exterarum gentium, inſtar puparum, ad diſtinguendos habitus virginum, viduarum, ſponſarum &c. (11) *Veſtes durabiles rariores*: ut priſcorum Avorum cujusq; Theatri fundatoris: quo loco poſſint eſſe, Paludamentum Imperatoris, Pallium Ducale, & quælibet Veſtis Sacerdotalis &c. item alia ornamenta, e. g. Torques, Pilei, Balthei, Marſupia, Criſtæ &c. gratæ alicujus memoriæ cauſa aſſervata.

VII.

Vta Claſſis inſcriptiones exhibet hasce *decem*: (1) *Pictura oleaginis coloribus expreſſa*, à præſtantiſſimis quibusque Pictoribus perpolitæ: ubi in ea arte obſervandum eſt, quantum alter alterum in rebus ipſis, proportione, geſtu, opticis, varietate, parergis, aliisque rebus notatu dignis viciſſe videatur. (2) *Pictura aqueis coloribus confecta*: celebrium undique etiam Pictorum, ſummo ſtudio collatæ: ut tum per ſingulas regiones, ſinguli Artifices invitati, quaſi honeſto certamine ſingula opera, vel libros, qui potuerunt à ſe confici longe præſtantiſſimi, protulerunt. (3) *Imagines ex ære impreſſæ*,

preſſæ: & aliæ picturæ chartaceæ in paginis magnis parvisq;, per thecas & ſuas claſſes, accuratè, tanquam in peculiari bibliotheca diſpoſitæ. Apud hæc ſunt etiam integra volumina, & libelli imaginum, quomodocunque editi, compactique, ſuas thecas & ipſæ ibidem ſortiti. (4) *Partitionum tabulæ ſacræ & profanæ:* Item hiſtorici catalogi, & chronologiæ maximis tabulis exhibitæ: tanquam mappæ quædam, non raro etiam late extenſæ. Ita ſunt etiam tabulæ ramoſæ, & aliæ ſingularum adeo diſciplinarum partitionem & principalia capita amplè ob oculos ponentia. (5) *Genealogiæ undequaq; ampliſſimæ:* Regum, Ducum, Comitum, & Illuſtrium nobiliumque Familiarum, tam manu pictæ, quam impreſſæ: inter quas etiam occurrunt illæ radices dependentes, quæ in probationibus Avorum quatuor, octo, ſedecim, & ſic duplicando in immenſum quandoq; adhibentur. (6) *Effigies illuſtrium & clarorum Virorum,* maximo numero conquiſitæ: ut ii ſaltem adſint Imperatores, Reges, Principes, & alii Viri excellentis virtutis, quibus memorandis (Fundator Cimeliarchii) delectabatur, quibusve præ reliquis undiq; familiaribus plurimum favebat. (7) *Inſignia nobilium familiarum;* tum & arma & ſpolia picta ad certas regiones, ac claſſes officiorum pertinentium: ut, Procerum Imperii univerſorum, munia Imperii hæreditaria ſuſtinentium, ut certorum ordinum aut partium ad aliquod Regnum, Ducatum, Epiſcopatum, tanquam inſita membra, relatorum. (8) *Tapetes & Aulæa,* eaque exquiſiti artificii & formæ non nimis latæ, ſed tolerabilis: quæque aliquando pictarum tabularum ſuppleant locum. Hic ſunt ſericea, aurea, lanea, & texturæ cujusvis ſubtilioris. Demum & illa, quæ in aurea tela coloribus inficiuntur, vel acu pinguntur. (9) *Sententiæ & gnomæ,* eæque ad certa ſpatia Gazophylacii inſcriptæ, potiſſimùm vero ſacræ, vel morales: vel ad Claſſes ſupellectilis cujuscunq; pervenuſte congruentes. Horum aliæ parietibus, aliæ in appenſis tabellis, aliæ aureis, aliæ coloratis

literis depictæ. (10) *Repoſitoria undiq; in promtu, ad ſingulas res in ſe recipiendum aut recludendum*: ut Armariola, Arcæ, Scrinia, Thecæ, Fiſcellæ, Cophini, Calatiſci, Gradata pulpita, Alveoli, Ciſtæ: & in parietibus obvelati forte Riſci, & per certa Gazophylacii ſpatia Menſæ: itemq; Arcus, Turricula, Pyramides ipſa Armariola imitata.

VIII.

Brevioris cujusdam diſpoſitionis lineamenta duxit *Georg. Seger, Thorunenſis*, in Synopſi methodica rariorum, tam naturalium, quam artificialium, in *Muſeo Olai Wormii Hafniæ* asſervatorum. Nempe Muſeum Wormianum conſtat *partim* Naturalibus, *partim* Artificioſis: *Naturalia* quod attinet, ea ſunt *vel* foſſilia, *vel* vegetabilia, *vel* animalia. Et quidem *naturalia foſſilia* conſtant (1) *ex Mineralibus*, utpote terris, ſalibus, ſulphuribus, (2) *ex Lapidibus*, iisque *partim* minus pretioſis, qui *vel* majores, tum duri, tum molles, *vel* minores, itidem aut duri, aut molles, *partim* pretioſis, qui etiam *vel* majores ſunt, *vel* minores. (3) *Ex Metallis*, quæ ſunt aut vera, eaque tum perfecta, tum imperfecta, aut ſunt ſui generis. (4) *Ex Metallorum affinibus*, quæ ſunt ſeu Naturalia, ſeu Arte elaborata. Deinde *Naturalia Vegetabilia* quod attinet, conſtant eadem (1) *ex Terreſtribus*, iisque vel integris, vel eorum partibus, nempe ex radicibus, foliis, lignis, corticibus, fructibus, ſeminibus, gummatis, ſuccis. (2) *Ex Marinis & Zoophytis.* Denique *Naturalia animalia* conſtant (1) *ex Animalibus exſanguibus*, iisdemq; *vel* inſectis, *vel* cruſtatis, *vel* teſtaceis, quæ ſunt tum conchyliata, tum turbinata. (2) *Ex Animalibus ſanguineis*, quorum *alia* reptilia, *alia* natatilia, *alia* volatilia, *alia* pedeſtria ſunt. *Artificioſa* autem collecta ſunt è *decem* Claſſibus, nempe: Ex *terris*, è *ſuccino*, è *lapidibus*, *metallis*, *vitris*, *vegetabilibus*, *ligno*, *fructibus*, *animalibus*, *variis*.

IX.

Diſpoſitio Muſei Brackenhofferiani Naturæ Artisq; Genio con-

:onſecrati à *Joh. Joach. Bockenhoffero*, Argentinenſi, in ſpe-
:iali libello, cui Tit. eſt: Muſeum Brackenhofferianum, Ar-
gentorati Ann. 1677. in 4. excuſ. & 6½. philyris conſtante,
deſcripta eſt: in qua ordo reperitur iſte quintuplex: (1) *Me-
talla*, lapides & mineralia media: petrefacta: gemmæ, mar-
garitæ, cryſtalla, fluores: mineralia media, quæ lapides in-
er & metalla medium locum obtinent, uti ſunt omnis ge-
neris terræ, tam crudæ, quam ſigillatæ. (2) *Vegetabilia*, quæ
ſunt vel in terra, vel in mari: & quidem in terra, e. g. fun-
gi, fructus, ſemina, ſucci, arbores, ligna, radices &c. in mari
e. g. arbuſculæ, plantæ, corallia &c. (3) *Animalia*, e. g. Zigæ-
næ, Priſtes, Remoræ, Sturiones &c. eorum capita, mandibula,
dentes, ova &c. ſerpentes, cancri, ſtellæ marinæ, echini ma-
rini, conchylia &c. Quadrupedum capita, cornua, caudæ,
pedes, ungulæ &c. Aves, vel integræ, vel earum roſtra, ova,
nidi &c. denique Inſecta &c. (4) *Artificialia*, e. g. Picturæ o-
mnis generis, Chalcographica, ſtatuæ, opera artificum ex auro,
argento, gemmis, ebore, vitro, ferro, ære, ligno, cera, ſtrami-
ne, plumis, ſerico &c. item clepſydræ, horologia, ſpecula,
moduli, arma, annuli, artificioſa varia exotica, ex America,
Aſia &c. Vaſa antiqua Romanorum & aliarum gentium &c.
(5) *Numiſmatica*, quæ triplici ordine abſolvitur, ita quidem,
ut *in Primo* partim Numi diverſarum gentium, e. g. Roman.
Græc. Judæ. Syr. Ægypt. Afr. Goth. Sinenſ. Indor. Magni Mo-
golis, Turc. &c. partim Numi diverſorum Chriſtianorum
continentur, e. g. Moſcov. Svec. Angl. Scot. Hiſpan. Gall. Ital.
Dan. Hung. Pol. Tranſilv. German. *in Secundo ordine*, Numi
memorabilium rerum memoriis conſecrati, *in Tertio* Numi
Illuſtrium Virorum imagines repræſentantes.

X.

Forma Muſei Calceolariani in epiſtol. quadam deſcriptione
Anton. Paſſieni, Medici Benacenſ. ad Jacob. Scutellarium, Philoſ.
ac Medicum, ſummatim delineata eſt h. m. Erant *tria Cubi-*

culæ, in primo inſpeximus multas tum noſtræ, tum ſuperioris ætatis Philoſophorum, Medicorumq; Clariſſimorum imagines *In ſecundo* quamplurima ex ære, vitro, figulinaq; terra elaborata vaſa, ad deſtillatorios uſus comparata, in magnis Abacis ſepoſita: *In tertio* erat copioſiſſimus quarumcunq; inſignium rerum Medicinalium receptaculum, verusq; theſaurus, in quo obſervavimus ſingula quæq; ordine miro ſepoſita ſuis abacis, capſulisq; ornatiſſimis, mundiſſimisq; collocata v. g. aromata, plantas, radices, cortices, ſuccos concretos, liquidos, gummata, flores, folia, fructus, ſemina, metalla, animalia exſiccata, terreſtria, aquatiliaque. Quæ omnia & ſingula *Jo. Bapt. Olivus* in Teſtificatione in Muſeum Calceolarii, per 24 literarum elementa, ab A. incipiens, & in Z. deſinens, breviter deſcripta exhibuit.

XI.

Muſeum *Ol. Wormii* eo majorem mereri videtur commendationem, quo accuratiore diligentia rerum ſingularum diviſiones in illo ipſo obſervatæ & inſtitutæ ſunt. Neq; *Muſeum* Illuſtr. *Dni. Andr. Vendrameni* penitus heic præteriero, quippe quod, ceu ex *Bibliotheca Benteſiana* patet, artificioſe & eleganter depictum, addita ſimul deſcriptione, XVI. Volumin. thecæ affabre incluſis, comprehenſum eſt, hoc quidem ordine: I. De Picturis. II. De Sculpturis. III. De Deis, Oraculis, Idolis, & Antiquorum Sacerdotibus, addita explicatione eorundem rituum & habituum in ſacrificiis uſu. IV. Habitus diverſarum nationum. V. De Sacrificiorum & Triumphorum vaſculis, Lucernisq; antiquorum, urnis, ac liquoribus, lacrumis atque vaſculis vitreis. VI. De antiquis Rom. Numiſmatibus. VII. Illuſtrium Venetorum Numiſmata. VIII. De Annulis & Sigillis Ægyptiorum, Scarabæis Emblematibus ornatis, & aliis Signis & Figuris in gemmis & lapidibus à natura delineatis & inciſis. IX. De rebus naturalibus puris, mixtis, atque compoſitis, & in omni genere petrificatis.

X. De

X. De Buccinis, cochleis, & conchis maritimis diverſarum mundi partium. XI. De Mineralibus. XII. De Rebus Indicis, & ex aliis mundi regionibus, tam orientalibus quam occidentalibus, valde curioſis & viſu dignis. XIII. De Libris Chronologiarum univerſalium, figuris & coloribus ornatis. De iconibus æri & ligno inciſis Alb. Düreri, & aliorum Pictorum inſignium. De Animantium, piſcium & avium cujusvis generis forma & hiſtoriis, plantarum & florum nobiliorum viridario, mirandis Rom. urbis vetuſtatibus, & aliis rebus viſu delectabilibus. XIV. De variis rebus peculiarem locum non habentibus. XV. De Autorum inſignium de Chriſto Redemtore Scriptis conſideratione dignis. XVI. De Manuſcriptis.

XII.

Quæ qualisve rerum naturalium æque ac artificialium dispoſitio *J. Dan. Majori* arriſerit, ex verbis in *Tr.* Unvorgreifliches Bedencken von Kunſt- und Naturalien-Kammern *Cap. 8.* prolatis, quantum quidem ad *Res naturales* attinet, patere poteſt his ſeqq. Es iſt wol zu verfahren / daß alles zugleich im erſten Anblick / venerabel und prächtig ſcheine / wozu gantze Crocodil / ungeheure groſſe Schild-Padden / ausgeſtopfte weiß- und graue Bären / Schwerd- und andere Fiſche / ſchröckliche Rochen / gedrocknete junge Wallfiſche / Carcharias / Hunde / Aegyptiſche Mumien ꝛc. das ihrige contribuiren / &c. Sonſten beliebt mir vor mich dieſe Phantaſie / daß ich zu meinen *Scriniolis* und denen darinn befindlichen kleinen Cörpern / ſo viel deren *Species* ſind / ſoviel kleine offene **Schiebladigen von Blech** / und mit Oelfarbe vermahlet / oder derer Boden von Pappe / und die vier Wände herum / von dünnen Führnen- oder Cypreſſen-Holtz laſſe machen / einen Zoll hoch / 2. 3. oder 4. Zoll breit / und 3. 4. oder 5. Zoll lang / nach Unterſcheid der Dinge / (gnug / daß ſie alle einerley Höhe haben / und in Repoſitoriis vorwarts / als nach der Schnur / ſtehen /) und richte darinn eines von den beſten Exemplaren der Speciei auf / die andern meiſtentheils zu Boden legend / äuſſerlich aber füge ich ein

Zettelgen an / mit Auſſchreibung des Nahmens. Solche *Scatulæ* aber müſten nicht zu Compreſs, ſondern in mäßiger Diſtanz voneinander geſetzet werden / damit allezeit gantz beqvem ſey / eine neue Scatula, mit ankommender neuer Specie, dazwiſchen zu ſetzen / und etliche benachbarte nur ein klein wenig näher zuſammen gerucket können werden. Wann manche Exemplaria der Specierum gar zu klein / alſo / daß ſie den oberſten Rand der Schachtel kaum erreichen / und dennoch die Species ſoll frey geſehen werden / ſo brauche man dieſen Vortheil / entweder man fülle die Schachteln mit Sand / oder man formire ein vierkantiges / in die vorderſte halbe Schachtel paſſendes Stucke feinen Argillæ / oder Ceræ / und ſetze das Exemplar entweder bloß und aufgericht darein / oder / wann ſie / als Böhmiſche Diamanten / geſchliffene Nordiſche Cryſtallen / oder ſeltſam gebildete Orientaliſche Perlen / noch zu klein / thue man dieſelbige in ein ſubtil Confection-Gläßgen / binde es zu / ſetze es in die Schachtel / und ſchreibe vorwarts den Nahmen dran / ſo iſt die Sache richtig. Und gleichwie in dem *Univerſal-Catalogo* es nöthig / die *Species* nicht nach dem *Alphabet*, ſondern *methodice*, nach ihrer Natur / in richtige Claſſes einzutheilen / anfangende von *Corporibus meteoricis*, und fortfahrende *ad Terras, Salia, Saliſulfura, Sulfura ſimpliciora & bitumina, lapides primarios, & petrefacta, metalla, metallica, & Metallis affinia; indeq; ad Arbuſculas & Herbas plantarumq; radices, cortices, ligna, ramos & germina, folia, flores, ſemina & fructus, ſuccos & recrementa,* biß man kommt *ad hominem ipſum & bruta, ac utrorumq; partes & partium recrementa, porro autem ad corpora quoq; difformia,* videl. *lapidi-plantas, vel plant-animalia &c.* Zu *Completi*rung eines *Univerſal-Catalogi*, muß ein groß Raritäten-Buch zu verfertigen laſſen / ein *Præfectus* ſich angelegen ſeyn laſſen / und alle ihm bewuſte Raritäten der Welt / in der accurateſten Ordnung / mit Waſſerfarben / in Natürlicher Größe und Coleur, oder / wo die Cörper zu groß / nach dem verjüngten Maßſtab gemahlt / in groß folio zu verſchaffen / mit darzwiſchen gefügten Beſchrei-

bungen /

bungen/ wie alles heiſſe / was es ſeye / und wohin es nach Hauß gehöre ꝛc. Sondern zugleich und fürnemlich auch/ ſeiner innern Qualitäten nach/ und fürnehmſten glaubwürdigen Experimenten/ die jemals/ und in dieſem Seculo voraus / in Teutſchland / Italien / Franckreich / Dännemarck / Holl- und Engelland / ꝛc. *in phyſico-mathematico-technicis*, zu nutzlicher Kundſchafft kommen.

XIII.

De *Artificialibus rebus* prudenter diſponendis, idem ille *Major c. l. Cap. 7.* egit, hac tamen ratione, ut naturalium rerum diſpoſitioni primario intentus, de artificialium ordinatione ſecundario quaſi ſolicitus fuerit, atque ex nimia artificialium coacervatione & cum naturalibus mixtura, facile confuſionem aliquam oriri poſſe autumarit. Nimirum, Es fällt/ *ipſo inquiente d. l.* zu bedencken/ daß Natural-Sachen/ als das Principaliſte / darinnen mit allerhand artificial-Dingen nicht überhäufet werden: ſondern gleich wie allenthalben Bibliothecken / mit denen dazu gehörigen Kupferſtücken / Land- und See-Karten / fremd- und unterſchiedener Arten Papier von Seide / Baſt / Rohr / und dergleichen / nahe bey Kunſt-Kammern conſtituirt / und alſo beſonders zu finden: ſo muß auch in Naturalien-Muſeis ſelbſt/ an Artificial-Sachen / die etwan aus Europa, aus Oſt- und Weſt-Indien zuſammengebracht / kein Uberfluß nicht ſeyn / und entweder dergleichen Dinge gantz ausgelaſſen / und in abſondere Gemächer gethan / oder die Sachen mehr *ratione materiæ*, als *ratione artificii ac uſus*, zu andern Natural-Sachen ſortirt / oder / wo gleichwol in einem abſonderlichen Schranck und Ort unterſchiedliche artificialia gethan / und in einem *ſpecial-Catalogo* regiſtrirt/ ihre Materie jedoch / daraus ſie fürnemlich gemacht / dem Haubt-Catalogo der gantzen Naturalien-Kammer einverleibt / und mit den übrigen pur-naturalen Cörpern / nach phyſicaliſcher Ordnung reducirt / und alſo viel auserleßne objecta einer wohlgegründeten curiöſen *Technico-Mathemati*ſchen *Experimental-Phyſike*,

in richtigſter Ordnung gehalten werden. Und unter jetzt-erwehnten *Artificial* Sachen / mit ihren gehörigen Behaltnüßen / ſtehen benahmentlich dieſe: (1.) Ein *Antiquarium*: deßen anſehnliche Exempel bey den alten Römern wir allbereit umſtändlich aus Plinio l. 35. C. 2. und Alex. ab Alex. Genial. Dier. L. 5. C. 24. zu nehmen haben / &c. (2.) Ein Cabinet von vielerley Mathematiſchen Inſtrumenten/ ſo wol Muſicaliſchen / als zu allerhand Abmeſſen und Aſtronomiſcher/ oder auch Chronodictiſchen Obſervirung / und anderen Sachen dienlich/ ꝛc. (3.) Ein *Armamentarium*, oder Rüſt-Kammer. (4.) Ein *Technicarcheum*, oder Technicotheca, von gewiſſen Kunſt-Sachen / geringerer Nothwendigkeit ꝛc. (5.) Ein *Conditorium Chymicum*, darinnen rare Chymiſche Kunſt-Sachen/ die voraus eine lange Zeit unverderblich ſind. ꝛc.

XIV.

Quod ad *promiſſa* hinc inde ab Autoribus facta attinet, *de Diſpoſitione tum Cimeliarcheorum*, *tum Technophyſiotameorum* in ſalivam Eruditorum edenda, & ſcriptis publicis vulganda, equidem memoria mea nunc recolo, partim *Joh. Bapt. Ferretium*, qui in præfat. Libr. cui Tit. eſt *Muſæ Lapidariæ Antiquorum*, pollicitus eſt, ſe ſpecimen editurum ad varia Muſea conſtituenda, tam apud Principem, quam apud eruditum Virum, id intendiſſe, partim *Georg. Hier. Velſchium*, qui in literis ad J. Dan. Majorem ſcriptis, *Pinacothecam univerſalem* ſe publicaturum recepit, eadem de re ſolicitum fuiſſe: ſed an typis eadem vulgata fuerint, dubito, certe mihi nihil quicquam de iis huc usque innotuit. Ne autem plurium ejusmodi diſpoſitionum mentionem heic injiciam, profecto animi pendeo, an ſcientificus aliquis, omnibusque numeris abſolutus, & omni loco, & omni collectori, & ſingulis rebus collectis, & omni tempori accommodatus ordo à quopiam mortalium excogitari, ne dum inſtitui ac obſervari queat.

XV.

Idcirco optimum eſſe reor, antequam de accurata rerum diſpoſitione perficienda cogitatio aliqua ſuſcipiatur, ad animum

mum prius revocare : (1) *An* Technophyſiotamea *vel* publica ſint, *vel* privata, *vel* privato-publica? (2) *An* authores & poſſeſſores illorum ſint Reges, Principes, illuſtres Perſonæ, Reſpublicæ, Literati, Divites, Pauperes, Cives, Plebeji, Idiotæ, & mediocribus facultatibus inſtructi homines? (3) *An* finis ſit, *vel* ſcireturientibus ſubvenire, *vel* ſcientiam ſuam augere, *vel* deſiderium captum implere, *vel* aliorum curioſitatem ſtudiaque æmulari, *vel* opes oſtentare, *vel* laudem conſectari, *vel* voluptatem captare? (4) *An* occaſio res naturales & artificiales congerendi, *vel* proprio impulſu quæſita, *vel* rerum rariorum ab amicis, fautoribus & patronis donatione ſuppeditata, *vel* alia quavis ratione ſuggeſta fuerit? (5) *An* loci conditio recte ſe habeat, & quomodo eadem comparata ſit? (6) *An* illa *vel* in fieri, *vel* demum inchoata, *vel* aliquamdiu jam culta, *vel* multis, *vel* paucis rebus conſtantia, *vel* per hæreditatem in poſteros transmiſſa, *vel* aliunde comparata, *vel* per plures annorum periodos, magno aut parvo ſtudio congeſta ſint? (7) *An* bibliothecis *vel* inſerta, *vel* adjuncta, *vel* diſtinctis quæque conclavibus, & quam amplis, & quomodo comparatis, & quo numero conſtantibus concredita ſint? (8) *An* ſumtus certi, annui, magni, exigui, arbitrarii, vel plane nulli fiant in res identidem coëmendas? & quæ quamplurima adhuc alia forent expendenda, priusquam ſe quis ad ſubeundum & exequendum diſpoſitionis officium accingat. Interea paucis ut multa complectar: In quavis Technophyſiotamei ordinatione ac diſpoſitione, ad *ſeptem* potiſſimum *momenta* attendendum eſſe autumo; nempe ut eadem ſit (1) poſſibilis, (2) rationabilis, (3) utibilis, (4) ſpectabilis, (5) delectabilis, (6) augmentabilis, (7) durabilis.

 CAP. V.

CAP. V.

De Loci ad Technophyſiotameorum Conſtitutionem electione.

§. *I.*

SI ullius in rei diſpoſitione, cuſtodia, & aſſervatione, *Loci* habenda eſt ratio, profecto in Technophyſiotameis recte & prudenter ordinandis, ad locum attendendum fuerit quam maxime: ut enim nihil jam dicam, de receptaculi commoditate, cuivis rei aptæ collocandæ, riteque digerendæ, ſtudioſe & cum judicio eligenda, quis non ea quoq; ſolicitudine ductus, ne crebrioribus accidentium injuriis expoſita, detrimentum aliquod res in iis aſſervatæ capiant, de loci eligendi conditione, ſitu, ac qualitate; quam diligentiſſime circumſpiciat.

II.

Quamobrem Locus *partim* generalis, *partim* ſpecialis probe erit ponderandus, in quo ſingula, quantacunque etiam induſtria, pecuniæ erogatione, ac felicitate acquiſita fuerint, non minus commode, quàm tuto & eleganter cuſtodiri queant. Et quidem, circa *generalis Loci* electionem, opera danda eſt, ut lux ſufficiens eidem ab Oriente pariter ac Septentrione ſe infundat; Auſtralibus enim Zephyriisque ventis expoſita, tantum abeſt, ut rerum quarumlibet aſſervationi conducant, ut potius noxam iis afferant certiſſimam. Ad *ſpecialis Loci* ſegregationem quod attinet, debita is capacitate, amplitudine, altitudine, conclavium diviſione, juſtoque eorum numero & lucis admiſſione ſufficiente gaudeat: quæ tamen & ſimilia omnia, de publicis magis, quam privatis Technophyſiotameis intelligenda eſſe velim, quippe quod in privatis plerunque non ad id, quod haberi deberet, quam ad id, quod haberi poteſt, reſpici ſolet.

III. In

III.

In *Commoditate* cujusvis *Loci*, ſpeciatim autem Technophyſiotameorum, quantum ſitum ſit, ii ſine dubio norint, qui effectum ejusdem ac præſtantiam haud exigua animi voluptate experti ſunt. Conſiſtere autem ea præcipue videtur, in aditus facilitate, in introitus claritate, & ſplendida laxitate, in magnifica thecarum, rebus recipiendis deſtinatarum, pluralitate, in conveniente ſpatii, pro rei cujuslibet exigentia, quantitate, in egregia feneſtrarum maxime pellucidarum concinnitate, in pervia obambulandi capacitate, in aëris permeantis & ambientis ſinceritate, inque pluribus adhuc aliis, mihi nunc hæc exponenti non protinus obviis, aut perſpectis.

IV.

Præterea ut *Locus* talis *tutus* ſit, ipſa rerum aſſervatarum conditio requirit: cum enim ex ſelectioribus, rarioribus, & pretioſioribus Technophyſiotamea pleraque componi & conſtare ſoleant, eo certè majore cura, de tuta eorum & inviolabili conſervatione, diſpiciendum erit, quo difficilior plerunque nonnullarum in iis contentarum rerum fuit acquiſitio, quod autem humana induſtria vix fieri poteſt aliter, quam ſi munimentis & tutamentis illis conclavia firmata, ſepta, & circumvallata quaſi fuerint, quæ à furibus, raptoribus, incendiis, pluviis, & ſimilibus rerum fortuitarum injuriis, noxis, damnisque eadem eripuerint, & immunia reddiderint.

V.

Ab *Inſectis* etiam *quibuscunq;* vacuus locus ſit, neceſſe eſt. Speciatim igitur opera danda eſt, ne *vel* muribus, *vel* vermibus, *vel* tineis, *vel* blattis, *vel* muſcis, *vel* araneis, *vel* papilionibus, *vel* cimicibus, *vel* pulicibus, *vel* aliis animalculis perniciem qualemcunque cauſantibus ſit expoſitus: ex eorum enim præſentia, copiaque, non tantum ſpectatorum oculis delectatio, alias ex tam variarum rerum contemplatione oritura, adimitur, ſed ipſæ quoque res, præter turpem, fœdamque

contaminationem, commaculationem & ſpurcitiem, indeq; tædium in animis excitatum intuentium, notabile capiunt detrimentum. Quapropter parietibus bene incruſtatis, pavimento ſolide complanato, lacunari probe compacto, & feneſtris arcte clathratis, conclavia talia munienda erunt: atque ne *aut* ſpiſſiori pulveri, *aut* nimbo impetuoſiori, *aut* nivium floccis, *aut* grandini crepitanti, *aut* nebulis obducto aëri, facilis, frequens & copioſus pateat tranſitus, diligenter eſt cavendum.

VI.

Amœnitas Loci, ſive delectatio ex Loci qualitate promanans, *tum* intrinſeca eſt, *tum* extrinſeca: *illa* in eleganti armariorum, arcarum, ſcriniorum, thecarum, ciſtarum, fiſcellorum, cophinorum, calatiſcorum, pulpitorum, alveolorum, loculamentorum, riſcorum, theatrorum, menſarum, turricularum, arcuum, pyramidum, & multiplicium repoſitoriorum diſpoſitione, nec non in concinna, ordinata, artificioſa, oculosque ſpectatorum alliciente, paſcente, & detinente rerum ſingularum collocatione conſiſtit: *iſta*, plateæ, in qua Muſea talia ſunt, munditie & latitudine, domus ipſius elegantiore ſtructura, viridarii vel horti alicujus vicinitate aut ſubjectione, proſpectus facilitate ac jucunditate, aliisque commoditatem alias loci parientibus rebus abſolvitur.

VII.

Pleraque hujus ſimilisque notæ requiſita, uni quaſi faſciculo incluſa, reperias quoque apud *Majorem* d. l. C. 7. §. 5. hac quidem vocum textura: Aus reſpect des Zimmers / fällt dieſes zu bedencken: das es fein geraum / und ſowol für ankommende Perſonen zum hin- und wiedergehen / als auch für eine viereckigte lange Tafel / langhin in die mitten zu ſetzen beqvem / oben gewölbt / und nicht getäfelt / ringsum gemauret und nirgend bemahlt / es ſey dann nur am oberſten Mittelſtein und daran-gehenden Regeln des Gewölbes / unten mit reguliren Marmorſteinern gepflaſtert / und im übrigen genugſam für Mäuſen / Ratten / Katzen / einniſtlenden Schwal-

Schwalben / einbrechenden Dieben / Wind / Staub / Platzregen und Feuers-Gefahr verwahret / wohl (doch nicht übermäßig) mit Fenſtern verſehen und liechte: wie ſonſt auch von Geſunder / reiner und trockener Lufft / und nach Erträglichkeit des Gebäudes / gegen Sud-Oſten fürnemlich / oder zum wenigſten gegen Sud-Weſten / keines Weges aber gegen Norden ſituirt: Qua tamen in plagarum cœli aſſignatione *Majori* calculum meum haud adjicio, uti vel ex *præc. §. 2. hujus Cap.* patuerit. Ceterum, eodem inquiente: iſt es ein Mangel am Conclavi, wann es nicht liecht / geſund / rein / dichte / und trucken genug ſituirt / oder voraus ſo wol für die ankommende Beſchauer und andere / zum auf- und ab-ſpatzieren / als für die Raritäten ſelbſt und ihren *Apparat* zu enge. Quæ quidem omnia uti publicis in Technophyſiotameis, ſi adfuerint, merito laudem conſequuntur, ita in privatis ſi abfuerint, non ſtatim reprehenſionis aut defectus alicujus inſignioris notam incurrunt.

CAP. VI.

De Fine Technophyſiotameorum.

§. *I.*

F*Inis* in Technophyſiotameis adornandis, inſtruendis, concinnandis, perficiendis, augendis, conſervandis, & ad poſteros propagandis poteſt eſſe multiplex. *Primarius* quidem, vix alius, omnium conſenſu, conſtituendus erit, quam *Dei Omnipotentis & Omniſapientis Gloria, Laus,* Honor, admiratio, & deprædicatio: cùm enim omnia & ſingula illis illata rariora, exquiſitiora, excellentiora, admiratione digniora, & adſpectu jucundiora, virtuti illius efficaciſſimæ, potentiæ infinitæ, & influxui conſtantiſſimo adſcribenda ſint, haud immerito ex frequentiore & diligentiore eorum ſingulorum contemplatione, verſatione, ruminatione & conſideratione, ad primarii Autoris, motoris, factitatoris, largitoris, & conſervatoris, potentiam, ſcientiam,

ſapientiamque agnoſcendam, ſuſpiciendam & celebrandam abripimur, impellimur, incitamur, & manu quaſi ducimur. Sane, uti alias etiam

Divitias Domini totus deprædicat Orbis,
Eſſeq; teſtatur qualibet herba Deum.

Ita ex ejusmodi quoque ordinata rerum artificialium & naturalium congerie penitius ad animum revocata, argumentum deſumi poteſt certiſſimum pariter ac ampliſſimum, ad Autorem, Conſervatoremque earum omnium extollendum, laudandum, deprædicandum, glorificandum & maximi æſtimandum.

II.

Secundarios inter *fines Natura* principatum obtinet, cujus qui ſtupenda opera & formas omnigenas rebus vi primæ Dei benedictionis impreſſas, accuratius inveſtigant, inquirunt, perſcrutantur & examinant, quin de optimis literarum ſtudiis, imo de ipſa rerum omnium Parente & altrice natura, egregie mereantur, negare nolim, ut enim jam nihil dicam de Cleanthea prorſus nonnullorum hominum diligentia, in abſtruſis & rarioribus naturæ operibus rimandis, indagandis, & explicandis, adhibitâ, profecto in quotidianis etiam, vilibus, levibus, tritis, communibus, & ubique obviis ejus effectibus, fœtibus & partubus perluſtrandis, trutinandis, & examinandis, tantam hac noſtra præſertim ætate inſumi videas induſtriam, quantam fere nunquam alias inſumtam fuiſſe conſtat; hincque tantos etiam in iis progreſſus factos fuiſſe dicendum erit, ut Philoſophia inde nata experimentalis multis paraſangis veterem illam ſcholaſticam terminis barbaris horrentem poſt ſe relinquat.

III.

Ad firmiorem autem & evidentiorem Philoſophiæ hujus certitudinem acquirendam, ſenſuum præcipue miniſterio deducimur, qui non aliunde melius & facilius quam ex accurata naturalium æque ac artificialium Rerum contemplatione experi-

enciam

entiam ſibi comparantes, ad eam tandem notitiam ſubvehuntur, quæ genitrix eſt multijugæ & tantum non ſtupendæ ſcientiæ. Quapropter cum nemo hominum tantis animi, corporis, & fortunæ dotibus polleat, ut univerſi orbis angulos ſolicito perluſtrare oculo, & ſingulas obſervatione dignas res intueri ac examinare queat, hinc factum tandem eſt, ut ſi non omnia rerum maxime notabilium genera, magna tamen earum pars à curioſis quibusdam & ſcireturientibus ingeniis hinc inde comparari, colligi, & in diſtincta ſeparataque conclavia diſtribui cœpta fuerit, eum præcipue ob finem, ut quæ aliàs late diſperſa, alteque abdita, ne à centeſimo quidem luſtrari potuiſſent, uno quaſi intuitu omnium ſpectatorum oculis ſubjecta, ulteriori earum examini anſam ſubminiſtrarent.

IV.

Scientiæ itidem ex rebus ita in unum locum congeſtis, & ordine digeſtis, in poſſeſſores earum redundantis in alios quoque earum rerum cognoſcendi cupidos derivandæ gratia, Technophyſiotamea inſtituta eſſe, non eſt, ut quis ambigat: Nimirum, uti vulgatum juxta verſum illum;

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter,

ita dici non poteſt, quam patens aperiatur campus, ſcientiam ſuam ſine ulla ferè, *vel* invidiæ attractione, *vel* jactantiæ imputatione, non tantum publicè profitendi, ſed omnibus ejusdem adipiſcendæ deſiderio flagrantibus communicandi. Accedit, quod quæ oculis ſubjecta ſunt curioſioribus, felicius, faciliusque percipiantur, & diutius quoque in memoria hæreant, quam quæ ſolis auribus hauſta, cito transmittuntur, aut notitiam generant, eo plerumque inſtabiliorem, quo incertiorem ac fallaciorem.

V.

Nonnullorum inſuper finis eſt, curioſitatem ſuam ſi non penitus explere, aliquadantenus tamen eidem explendæ inſervire: qua de cauſa vel audientes, vel videntes, vel legentes, rem

rem aliquam rariorem alicubi exiſtere, nullis operis, nullisque ſumtibus parcunt, ejusdem adipiſcendæ gratia. Nimirum natura ſua homines plerique res novas mirasque & avidius conſectantur & curioſius contemplantur, quin etiam quo rariores & ſelectiores eædem ſunt, eo plurium oculos ad ſui perluſtrationem alliciunt: cum autem ex ſuperficiaria, curſoria, & tranſitoria rerum alienarum contemplatione accendi magis, quam extingui ſoleat ſitis curioſitatis, igitur opera danda eſt, ut propria earum poſſeſſio quocunque tandem modo acquiratur, ita enim fiet, ut diuturniore, crebriore, & diligentiore illarum examine ac perluſtratione, oculos non tantum corporis, ſed ingenii etiam paſcere, atque idea de iis in mente ſapienter formata, ſcientificum cum aliis ſermonem miſcere queamus.

VI.

Præterea videas aliquos ſolius Gloriæ, Laudisque conſequendæ deſiderio impulſos, aut vanæ oſtentationis vento agitatos, ad inſtituenda ferri abripique Technophyſiotamea. Enim vero laudis gloriæque ſtudio nemo non mortalium ducitur, nec quisquem facile erit, cui *caro Alaudæ* haud ſapiat, juxta tritum quidem illud Italorum Dicterium: *La Carne di Lodola piace ad ogni uno:* tantum tamen abeſt ut probari abſolute finis ejusmodi debeat, ut potius juſtiſſimam incurrat reprehenſionem. Quamvis, ſi certiſſima utilitas ex jactabunda tali & thraſonica rerum collectione in ſpectatores ſciendi avidos indirectè manans perpendatur, inhumanum eſſe arbitror, eandem hoc quoque reſpectu, penitus velle damnare: ſane aliud de collectoris, poſſeſſorisque, & aliud de ſpectatoris, ruſpatorisque intentione ferendum eſt judicium, illa per ſe conſiderata vituperium, per accidens autem laudem promeretur, iſta quocunque modo ventilata, non poteſt non ampliſſimam mereri approbationem.

VII. Deni-

VII.

Denique, ut plures alios nunc taceam fines; excitationi pariter ingeniorum, ſtimulationi opificum, ac æmulationi artificum, hæc ipſa Technophyſiotamea inſervire, haudquaquam fuerit diffitendum. Quotusquisque enim hominum, vel potius artificum eſt ſaniorum, qui non artificialibus ejusmodi & naturalibus rebus, quò rarioribus atque excellentioribus, eò ſuavioribus, gratioribus, carioribusque, cum judicio & mora aliqua perluſtratis, ad paria vel audenda, vel tentanda, vel fabricanda, vel efficienda, vel elaboranda, tacito quaſi quodam inſtinctu, invitetur, moveatur, rapiatur, adducatur, & impellatur. Artifices enim non naturæ duntaxat æmulatores, ſed artificiorum quoque inſigniorum imitatores eſſe ſolent: quapropter etiam admirabili aliquo egregioque, ſeu Naturæ ſeu Artis opere forte conſpecto, ilicet ad ipſum illud imitatione exprimendum, omnes ingenii nervos intendunt, omnesque operas impendunt. Certum inſuper eſt, & exemplo haud uno comprobatum, effectus, tum à natura, tum ab arte productos, quo præſtantiores, nobiliores, & conſpectiores, eo majorem ſæpe anſam artificibus dediſſe talia inveniendi, effingendi, & producendi, qualia, iis prorſus non viſis aut obſervatis, nunquam animum eorum ſubiiſſent, ne dum in cogitationem veniſſent, aut manuum ope facta fuiſſent. Quam maxime igitur huc quadrare dixerim regulam illam Philoſophorum decantatiſſimam; *Unius rei plures poſſunt eſſe fines:* quemadmodum enim ex eodem prato gramina boves, mella apes, & venena araneæ colligunt, ita uno & eodem ex Technophyſiotameo, ille irritamentum voluptatis, iſte ſcientiæ & cognitionis illuſtramentum ac incrementum, hic curioſitatis capit complementum. De cetero uti Benefactores de Muſeo Brackenhofferiano bene meriti ſunt, (verba heic proferre liceat *Jo. Joach. Bockenhofferi in Muſei Brackenhoffer. delineat. p. 49.* adhibita,) ita

F quoque

quoq; optime, & multo pulchrius merebuntur de literarum ſtudiis, de ipſa Natura, qui talia Muſea, hoc, aliorumve exemplo allecti, aut potius maximæ certiſſimæque utilitatis conſcientia impulſi, ſimili induſtria inſtruere ſuſcipient, concinnare pergent, & perficere elaborabunt.

CAP. VII.

De Præſtantioribus nonnullis Orbis Tehnophyſiotameis.

§. *I.*

FAcilius citiusque Icariæ numerum dicere coner aquæ, quam præſtantiorum, nedum omnium & ſingulorum in univerſo hoc mundo, qua publice, qua privatim extantium producere Catalogum Technophyſiotameorum: præterquam enim quod vix oppidum aliquod hodie reperitur, in quo non vel apud Medicum aliquem, vel Pharmacopolam, vel Aromatarium, vel Aurifabrum, vel Pictorem, vel Mercatorem opulentiorem, vel Artificem & Civem curioſiorem, compendioſa quædam Technophyſiotamei alicujus latitet adumbratio, inchoatio, & diſpoſitio, profecto excellentiora etiam Technophyſiotamia adeo ſunt frequentia, & hinc inde in omnibus quatuor Orbis partibus obvia, ut indicem eorum omnium proferre velle, ſi non prorſus impoſſibile, valde tamen ſit difficile. Nihilominus tamen ex ingenti illorum numero pauca duntaxat aliqua, quæ manu mea calamo nunc admota, memoria forte ſuggerit, lubet commemorare.

II.

Nimirum in *Europa*, quot urbes inſigniores, tot pene etiam invenire licet rariorum quarundam concinne diſpoſita rerum receptacula: & quidem ut aliqua eorum ex *Germania* producam: I. *Nürembergenſis Civitas*, quæ ſcitum juxta & veriſſimum Bernh. Prætorii Syndic. olim Norimb. meritiſſimi

Ana-

Anagramma, *Sciſne? urbium Regina eſt*, quam curioſa, quam egregia, quam copioſe inſtructa, quam pulchre diſpoſita, hinc inde in Civium & Incolarum ſuorum domibus habet Technophylacia, Phyſiotamea, Numismatothecas & Cimeliarchia? quæ inter mihi nunc ſuccurrunt *Besleri*, *Braunii*, *Ebnerorum*, Fratrum Germanorum, *Engellandi*, *Grableri*, *Hillingeri*, *Hautſchii*, *Sandrarti*, *Velſeri*, *Volkameri*, *Viatis*, & *Wurffbainii*, *amici mei veteris probatiſſimi pariter ac æſtimatiſſimi*, Tameothecæ. II. *Hamburgum*, Emporium florentiſſimum, Technophyſiotameo *Pauli* Langermanns/ Materiarii memoratiſſimi, *Fogelii*, *Huswedelii*, *Moſſaueri*, *Schellhameri*, *Sivers*, *Sperlingii*, ut plura aliorum ibidem inſigniſſimorum Virorum Scrinia jam non attingam, ſuperbit. III. *Lubeca* Doctoris *Leopoldi* Numismatotheca & Cimeliarchio, nec non aliorum clarorum Virorum Muſeis radiat. IV. *Hafnia* Muſeum *Regium*, *Chariſii*, *Bartholini*, *Wormii*, & *Henr. Fuiren*, peregrinatoribus oſtendit, cujus rariora Academiæ ibidem regiæ legata, frater ejus *Thomas Fuiren* imprimi curavit Hafniæ Anno 1663. in 4t, philyris $3\frac{1}{2}$. V. *Hildeshemium* qua in urbe *Frid. Lachmundi* Med. D. & Patriæ Practici Muſeum reperitur, cujus etiam Autoris Ὀρυκτογραφία Hildesheimenſis, ſive, Admirandorum Foſſilium in Tractu Hildesh. repertorum deſcriptio iconibus illuſtrata, lucem publicam An. 1669. in 4. aſpexit. VI. *Dresda* Cimeliarchium Electorale Sereniſs Duc. Saxoniæ oſtentat. VII. *Monachium* Pinacothecam Electoralem Sereniſs. Duc. Bavariæ ſpectandam exhibet. VIII. *Onoldum*, Technotameum Sereniſs. Principis continet, in quo Opera Neubergeri e cera peculiari arte confecta non ſine admiratione contemplari licet. IX. *Auguſta Vindelicorum Muſeum Georg. Hier. Velſchii* poſſidet, ac olim *Peutingeri*, Cypriani Schalleri & Joh. Schuembergeri Phyſiotamea perluſtranda expoſuit. X. *Vienna*, ubi Cæſareum Gazophylacium ſpectatu eſt digniſſimum, cujus præcipuæ res, prout Armariis

 inclu-

incluſæ aſſervantur, *duabus philyris* germ. impreſſæ ſub Tit. prodierunt ſequ. Beſchreibung der Kayſerl. Geiſt- und Weltlichen Schatz-Kammer in Wien. Von denen vornehmſten Stücken / ſo alldar denckwürdig zu ſehen ſeynd. Wien An. 1680. in 8. XI. *Berolini*, Cimeliarchium Regium Auguſtiſſimum, ſpectatuque digniſſimum. XII. *Francofurti ad Mæn. Horſtii, Schefferi* & plura aliorum Autorum. XIII. *Gothæ*, præter *Ducale*, etiam *Reyheri* videri poteſt. XIV. *Gottorpii*, Ducis Chriſtian. Alberti Gazophylacium celebratur. XV. *Chilonium* J. Dan. Majoris Tameothecam habet. XVI. *Jena Rolfincii* & *Wedelii* Muſea continet. XVII. *Lipſia*, in qua, præter *Boſii, Mayeri, Reinhardi* Muſea, conclave etiam aliquod rerum rariorum, vulgo Raritäten-Kammer Chr. Laur. *ab* Adlersheim / Conſulis quondam Reipubl. illius, viſitur. XVIII. *Uratislavia*, ubi *Kretſchmari, Laureæ, Volgnadiorum, Scholzii, Kalenbergeri, Cruſii* & *Phil. Jac. Sachſii* Muſea, præter plura alia aliorum Autorum, celebrantur. XIX. *Stutgardia* Ducali Cimeliarchio præſtantiſſimo eminet. XX. *Ambrunum*, Tirol. Arx, ob Cimeliarchium Archiducum Auſtriæ, plures peregrinatores ad ſe allexit, ſuperiori anno miſere ab hoſte Bavaro direptum. XXI. *Birkenfelda* in Palatinatu, ubi in Arce Principali Camera eſt rebus artificialibus & naturalibus, vulgo Kunſt- und Wunder-Kammer / refertiſſima. XXII. *Gvelpherbytum Conerdingii* Muſeum poſſidet. XXIII. *Vinaria* Ducali Pinacotheca claret. XXIV. In *Würtenbergia* Ducatu *Stutgardia* eleganti Cimeliarchio inſtructa eſt. XXV. *Hala Sax.* ubi Technophyſiotameum paucos adhuc ante annos fuit *Spenerianum* rebus curioſis, raris, atque pretioſis repletiſſimum, deinde vero poſt præmaturum & Reipubl. literariæ acerbum Poſſeſſoris obitum, *Berolini in ædib. Scheidianis* venum expoſitum, cujus deſcriptio typis publ. excuſa 13. circiter philyris incluſa, per columnas ſibi quavis in pagina mutuo reſpondentes latino-germanicas, hoc præfixo Tit. *Muſeum* Spenerianum, *ſive Catalogus*

logus rerum tam artificioſarum, quam naturalium, tam antiquarum, quam recentium, tam exoticarum quam domeſticarum, quas Clariſs. Jo. Jac. Spener/ Phyſ. & Math. P. P. in Acad. Hall. *dum viveret, ſingulari induſtria & indefeſſo labore paravit atq; collegit*, conſignatum opera *Joh. Mart. Michaelis*, Phyſ. & Math. Cult. das Speneriſche Cabinet / oder / Kurtze Beſchreibung aller ſo wol künſtlich- als natürlicher / alter als neuer / fremder als einheimiſcher *courieuſen* Sachen / welche Herr Joh. Jacob Spener Seel. Phyſ. & Mathem. P. P. auf der Academie zu Halle mit unermüdeten Fleiß *colligi*ret. Leipzig / druckts Chriſtoph Fleiſcher. 1693. in 8. XXVI. *Ulma* Muſeum habet *Gokelii*, & olim quoque ibidem fuit Wilhelmi *Wernheri* Comit. à Cimbern Promtuarium rerum naturalium & artificialium, aliò jam dudum translatum. Denique XXVII. Celebre olim fuit in *Svevia* Technophyſiotameum *Comitis à Montfort*. Taceo plura alia, quorum nomina locaque me nunc fugiunt.

III.

In *Italia*, & quidem *Neapoli* occurrunt Technophyſiotamea *Tiberii Caraffæ*, *Fabii Columnæ*, *Vincentii Cioffii*, *Marii Scipani*, *Ferrand. & Franciſci* Imperatorum, *Joh. Vincent.* Portæ, F. *Donati* Eremitæ, Vice-Regis Neapol. de quo videſis Pflaumern Mercur. Ital. P. 2. p. 37. *Lucii Luculli Villa ad mont. Miſen.* &c. conf. *Marc. Ant. Buliſon* Deſcritt. della Città di Napoli. *Veronæ*, *Ludov. Moſcardi* & Franc. *Calceolarii* Muſea proſtant. *Florentiæ* ſpectatu digniſſimum eſt *Phyſiotechnotameum* Magni Duc. Hetruriæ, de quo in Greg. Leti l' Italia regnante P. 2. L. 6. verba occurrunt hæc notabilia ſeqq. *La Galleria del Sereniſſimo Gran Duca riſplende ſopra ogni altra coſa più ammirabile, non dirò di Fiorenza, ma dell'* Italia; Coſmo I. *Gran Duca la cominciò, Ferdinando, Coſmo II. Ferdinando II. la ſono andata ſempre abbellendo, & il Gran Duca regnante generoſiſſimo* in ogni coſa *non cede ad altri nell' abbellirla. &c. in ſomma, le pietre pretioſe, che vi ſono, non ſi*

poſſono numerare, come ancora le galanterie mirabili è curioſe: baſta dire, che non ve n' è alcun' altra nell' Europa, che l' uguagli, ò che la ſuperi. Mediolani *Manfred. Septala*, de quo idem *Leti* cit. libr. *part. 2. l. 6.* La Galleria e le Curioſità del Signor Canonico *Settali* rapiſcono gli occhi alla maraviglia, e ſorpaſſano di molto le maraviglioſe macchine e lavori artificiali del celebre Cabinetto del *Sig. Sernier* in Lione di Francia. *Bononiæ* Ulyſſ. *Aldrovandus* & *Vintimiglia* Muſea habuerunt laudatiſſima. *Mantuæ* Cimeliarchium eſt *Princip. Gonzagæ* famoſiſſimum. *Forolivium* Muſeo *Hieron. Mercurialis* clarum eſt. *Romæ* celebrantur Muſea *Aldini*, *Angeloni*, *Barberini*, *Burgheſii*, *Federici Cæſii*, *Columnæ*, *Corvini*, *Fabricii*, *Farneſii*, *Gualdi*, *Guilandini*, *Ludoviſii*, *Maffæi*, *Franc. Peregrini*, *Aſinii Pollionis*, *Caſſiani à Puteo*, *Guil. Rivæ*, & *Athanaſ. Kircheri* Galeria, quæ olim maximo fuit in pretio. *Venetiis* Gazophylacium *in Templo D. Marci*, *Foſcarini*, *Grimani*, *Loretani*, *Ruſini*, *Vendrameni*, nec non quamplurimæ in privatis nobilium æque ac civium ædibus viſu dignæ Pinacothecæ commemorationem merentur. *Paduæ*, *Bonavidii*, *Bruzi*, *Corradini*, *Salæ*, *Speronii*, *Sertorii Urſati*, Reconditoria rerum rariorum prædicantur. *Parmæ*, in Ducis Palatio Gazophylacium eſt excellentiſſimum. *Meſſinæ*, in Sicilia, *Petr. Caſtelli* Med. D. Technophyſiotheca famam aliquando obtinuit. Neq; *Galliam* videas ſimilibus rerum rariorum thecis deſtitutam, ut enim *Regium Cimeliarchium tum Pariſienſe*, *tum S. Dionyſianum* ſicco nunc pede prætercam, eccui ignota fuerint Muſea *Richelii*, *Mazerini*, *Thuani*, *Thuillerii*, *Colberti*, *Preteſegle* &c. Enimvero Regium hoc tempore parum curari, *ex Literis Mich. Le Tellier Soc. Jeſu. Lutetiâ A. 1683. VI. Calend. Mart.* ad me exaratis ſatis credo patuerit, ubi inter alia quidem verba occurrunt hæc ſeqq: *Ad Regium vero Gazophylacium quod attinet, ita parum hoc tempore curatur de illo hiſce rebus locupletando, ut nihil admodum ab ea parte polliceri audeam.* Lugduni

Muſeum

Muſeum eſt *Servielii, Sernierii*, & alia. *In Lotharingia* Nanceum *Jo. Forgetii* Muſeum complectitur. In *Helvetia* Sangallum, Solodurum, Tigurum, ubi *Conr. Geſneri* Muſeum extat, & *Scheuchzeri* Med. D. Phyſiotameum conſpicitur, *Schafhuſium, Berna, Lucerna, & Baſilea* Tameothecis radiant, inq; hac potiſſimum *Platerorum, Bauhinorum & Feſchiorum* ſunt eximiæ. In *Anglia*, & quidem *Londini*, Theatrum exhibetur *Skeltonianum, Bodlejanum, Smidianum, Tradescanum, Gliſſonianum*, Muſeum *Ashmoleanum*, quod *à Joh. Dolben* Æd. Chriſti Alumno carmine heroico elegantiſſimo deſcriptum eſt; pluraque alia in hac urbe curioſis ingeniis refertiſſima Phyſiotechnotamea. *In Hollandia* Lugdunenſe & Amſtelodamenſe eminent: & quidem *Amſtelodami* Cameras invenire licet quamplurimas rebus rarioribus pleniſſimas, nec non *Exoticotamia*, in quibus res exoticæ viſu ſane ſtupendæ aſſervantur, contemplationem vero in iis paulò accuratiorem merentur *Theatrum Anatomicum* in 6. Conclav. diſtinctum, præterea quoque Muſea *Blaenii, Bruynii, Colbii, Potti, Reinſtii, Ruiteri, Schwammerdammi, Volkeri. Lugduni* autem, præter Theatrum Anatomicum, Ambulacrum Horti Med. & Cimeliarchium Academicum, Theatra *Hornii, Knolteri*, & aliorum viſuntur. *Delphis* Muſea *Daketi, Graveſandi, van der Mair, Revieri*, celebrantur. *Hagæ Comitum Nieropii* & *Schelhameri* promtuaria rerum variarum laudantur &c. In *Hiſpania*, Hiſpalis *Nicol. Manardi* Phyſiotameum extollit. In *Bohemia* præter Comitum & Nobilium, quin Civium etiam quorundam Technophylacia & Phyſiotamea, Hertodii inſuper Med. Celeb. Muſeum inſigniſſ. haud quaquam eſt ignotum. In *Tranſilvania* olim Gazophylacium Principis *Raggozii* fuit pretioſiſſimum. In *Hungaria* Fragopolis, vulgo Eperies, *Weberi* Pharmacopolæ Technophyſiotameum quondam æſtimabat. Omnium autem Cimeliarchiorum Hungaricorum laudes ſuperare merito videtur Regium prorſus illud *Opus Danubiale*,

quod

quod *Aloys. Ferdin. Comes Marſigli* erudito Orbi ſe exhibiturum in Prodromo quodam *A. 1700. fol. grand. regioq;* vulgato recepit, cui non tantum faventem Lucinam, ſed & propitium Jovem & Halcyonia conſtantiſſima ex animo vovemus: Interea haud abs re fuerit integrum illius Operis vaſtiſſimi Titulum oculis lectorum ſubjicere, hac verborum ſerie concinnatum: Danubius Regius Pannonico-Myſius ex Cætio Monte, in Auſtria, ad flumen Jantra usque in Bulgaria, tumida fluviorum majeſtate auctus: Geographice, Hydrographice, Hiſtorice, & Phyſice, deſcriptus, Regionum qualitatibus, Aquarum decurſibus, Romanorum antiquitatibus, Mineralium, Vegetabilium, & Animantium nativis productionibus, delineatus ac explanatus, Aſtronomicis, Mathematicis, Eruditis, & Naturalibus Principiis illuſtratus. Opus ab Aloyſ. Ferdin. Com. Marſigli, fervente noviſſimo Turcico bello, in Caſtris collectum, in *VI.* Tomos digeſtum, ac LEOPOLDO I. Rom. Imper. Semper Aug. Pio ac Reſtitutori, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Regi, Archi-Duci Auſtriæ, conſecratum. Plura alia, quæ prolatis hactenus Europeis Cimeliarchiis addi adhuc poſſent, jam mihi non occurſant.

IV.

De *Aſiaticis, Africanis & Americanis* Technophyſiotamëis eo pauciora verba erunt facienda, quo parciora & rariora de iis cognoſcendis ſuppetere videntur ſubſidia: præterquam enim quod peregrinationes, literatorum præcipue hominum, in eas orbis partes, haud frequenter adeo, & plerumque vix ſine vitæ diſpendio, aut graviore aliquo periculo, aut ſaltem difficultate moleſtiſſima, ſuſcipi ſolent, profecto libri etiam hodœporici illarum deſcriptiones dum exponunt, nunquam pene reconditoriorum talium mentionem injiciunt: Quin credibile etiam fuerit, gentes dictarum illarum mundi regionum, ceu à cultu ſolicitiore adhuc dum abhorrentes, curioſæ

ejus-

ejusmodi & ſtudioſæ multiplicium rerum collectioni minime indulgere: uti vel de ampliſſimo Perſarum Regno in propatulo eſt, cujus incolæ aliis potius quibusvis, quam ſimilibus artificialium atque naturalium rerum indagandarum & conſervandarum ſtudiis ac conaminibus capi, tempusque fallere dicuntur.

V.

Ceterum auribus non tantum, ſed ipſis etiam oculis attonitis aliquis percipiat, quæ in *Magni Mogolis* Theſaurophylaciis atque Technophyſiotameis hinc inde locorum aſſervata eſſe perhibentur, & quæ ferè, niſi his, qui videre, nemini credibilia ſunt: ut enim magnificentiſſimas & ſplendidiſſimas ejus Arces, nempe *Gvaliar*, *Narvar*, *Ratambor*, *Haſſier*, atque *Lahor* ſilentii peplo involvam, in quibus Rerum ſelectiſſimarum æque ac pretioſiſſimarum infinita pene eſt congeries ac ineffabilis multitudo, in ſola ſane Orientalis illa Indiæ urbe florentiſſima *Agra*, tantus Cimeliorum ex auro, argento, unionibus, gemmis & lapidibus pretioſis, iisque utplurimum inuſitatæ magnitudinis & exquiſiti ſplendoris, ab aliquot jam ſeculis ſtudioſe congeſtus reperitur cumulus, ut omnes mundi theſauros unicum hoc Cimeliarchium complecti videri poſſit. Præterea ſi quis ea menti ſuæ repræſentare velit, quæ de *Muteezuma*, Rege Mexicani Regni in Boreali America patentiſſimi non minus ac potentiſſimi traduntur, profecto extra ſe quin rapiatur, nullum fere eſt dubium: illeenim non procul à primaria Regni urbe Mexico diſſitum habere fertur Hortum delitioſiſſimum, in quo Palatium cernere liceat, non tantum, quod ipſam ſui ſtructuram ſpectat, artificioſiſſimum & elegantiſſimum, ſed quod ad res quoque in eodem aſſervatas attinet, ſpectatu jucundiſſimum pariter atque curioſiſſimum, ita quidem, ut non immerito *altera* quaſi quædam *Arca Noë*, & compendium omnium Naturæ dotium in univerſo Regno Mexicano obviarum appellari

lari queat: Taceo omnis generis Animalia in Mexicanis ſilvis, lucis, ac nemoribus occurrentia, tum ex auro, tum ex argento, tum ex ipſis etiam gemmis, in ea quidem quantitate atque forma, qua viva illa hinc inde vagantur, quam artificioſiſſime formata, quam faberrime elaborata, & quam optime repræſentata exhiberi.

VI.

Ad ſtupendam Majeſtatis pariter declarationem, ac profuſam opum immenſarum oſtentationem retuleris, quæ de *Horto & Gazophylacio Ingæ*, Regis Peruani, apud pleroſque novi orbis Scriptores celebratiſſimi, in America meridionali memoriæ prodita inveniuntur, quippe in quo bruta pleraque animalia, itemque arbores quamplurimæ grandiores, aliaque inſigniora terræ germina, ex auro confecta puriſſimo conſpicienda proſtant. Deinde quoq; in *Puna*, Inſula ejusdem Regni florentiſſima, Hortus amœniſſimus cum Arce quadam operis prorſus admirandi, extare perhibetur, ubi, præter Peruana quadrupedia, omnis generis aves, piſces, arbores & plantæ, naturali ſua in quantitate, mole ac magnitudine, ex mero ſolidoque Auro fuſa, cuſa, & efficta ſpectatum advenis exponuntur, quæ licet ac ſimilia opera Technophyſiotameis jure meritoque queant accenſeri, malim tamen ea luxui adſcribere, communi illi opum etiam ampliſſimarum populatori. Vid. D. Major in Vorſtellung etlicher Kunſt- und Naturalien-Kammern in America und Aſia Cap. I. §. 3. 4. 5. 6.

VII.

Quot & qualia *vel* Techniarchea, *vel* Phyſiotamea, *vel* Gazophylacia, *CPlis*, Thraciæ urbs famoſiſſima, in ſe contineat, haud ſcio aliquem huc usque indagaſſe, aut typis commiſſum vulgaſſe: Sane, præter res rariores, quæ in nonnullis Procerum Turcicorum habitationibus dicuntur cuſtodiri, anceps hæreo, an cum *Byzantina* illa *Bibliotheca* ullum eorum ſit comparandum, quippe in qua non tantum ſuis quæque Came-

ris

ris illatæ res ſelectiſſimæ pariter ac pretioſiſſimæ, diſtinctis in Loculamentis pulchre digeſtæ, & ex paxillis parieti infixis ordine videbantur dependentes, ſed *Pellis* potiſſimum *Draconis* advenarum oculis exhibebatur, in qua univerſa Homeri Odyſſea atque Ilias aureis litteris quam ſcitiſſime exarata conſpiciebatur. De *Ibrahimi Baſſæ* Pinacotheca CPlitana, ex *Philippi* malim Cæſii Tr. germ. de eadem typis excuſo *p. 138.* ſeqq. cognitionem quis hauriat, quam ut paucis inde transſumtis deſiderio ſuo minus ſatisfactum fuiſſe conqueratur.

VIII.

In *Melitenſi Inſula* non procul à primaria ejus urbe *Malta*, Muſeum *Fr. Joh. Franc. Habelæ*, ſacræ & eminentiſſimæ (quo nempe à Pontificiis elogio inſignitur,) Religionis Hieroſolymitanæ Vice-Cancellarii, quam maxime ſolet celebrari, quod in promontorii *Cortin* prædio ſuburbano, *Caſino di S. Giacomo* dicto aſſervatum, peregrinantibus, egregia cum animi oculorumque eorundem voluptate atque ſatietate, ſpectandum reſeratur: quin in ipſa etiam Malta urbe, promtuaria rerum ejusmodi naturalium ac exoticarum hodie extare, vel ideo dubitare nolim, quod occaſione ibidem eas nanciſcendi ultro ſe offerente, ad collectionem non minus, quam aſſervationem & ordinationem, incolæ illius loci invitantur, incitantur, ac inſtigantur. De cetero hæc talia, & id genus alia, uberius noſſe aventem explere aliquadantenus poſſunt, *J. Dan. Major Tr.* Vorſtellung etlicher Kunſt- und Naturalien-Kammern in America und Aſia: itemque ejusdem Vorſtellung etlicher Kunſt- und Naturalien-Kammern in Africa, und an Gräntzen Europæ: quibus addendi ſunt plerique harum regionum libri hodœporici, in quibus hac noſtra ætate fere eminent, *Dapperi* atque *Tavernieri* volumina. Quin etiam *Paulus Boccon* non erit plane prætereundus, quippe qui in *Obſerv. ſuis rer. natur.* elegantem variorum Muſeorum mentionem injecit: cui addeſis *Guil. Forgeſium*, Anglum, eodem in argumento occupatum, nec non *Burchard* Niederſtedt de Malt. L. 1. c. 5. p. 14.

 IX. De

IX.

De *ſubterraneis Technophyſiotameis* tanto pauciora verba facienda eſſe reor, quanto remotiora eadem ab oculis ſunt humanis, & quanto difficilior rariorque eorum nobis obtingit conſpectus. Enimvero Sirenes ex hinc inde conquiſitis & congeſtis conchis, cochleis, pectinibus, pectunculis, patellis marinis, buccinis lapideis, muricibus, cancris, teſtis, myſcis, myitibus, chamisque, caſulas, atque domunculas ſcite, affabre, eleganter ac artificioſe exſtruere, & in varia cubicula, cameras, contignationes & conclavia diſtinctas poſſidere, Autores, præſertim recentiores, memoriæ prodiderunt, in quibus præter res ad victum, quotidie neceſſarias, omnis generis tum naturæ, tum artis opera, ſabulo, arundine, canna, foliis, junco, ſcirpo, fabis, ſcoleciis, coralliis, margaritis, lapillis, tophis, pumicibus, muſco, radicibus, capreolis, pluribusque aliis non multum ab hisce discrepantibus materiis, ad diſtinctionem, ſeparationem, circumſcriptionem, incluſionem & ordinatam diſpoſitionem rerum hinc inde congeſtarum facientibus, circumdata, incluſa, obſepta, ſegregata, & ab invicem ſigillatim diviſa, curioſe aſſervata, ſtudioſe digeſta, & loculamentis, areis, capſulis, thecisque ſuis rite inſerta & cuſtodita licet invenire: quo quidem de argumento plura reperire licet apud *Ath. Kircherum in Itin. Ecſtat.*

Cap. VIII.

De Ratione, Modoq;, Res curioſas colligendi.

§. *I.*

RAtio, modusque res curioſas colligendi, quin ab ingenii humani ſagacitate & varietate dependeat, nullum ſane eſt dubium: id autem cum non unum finem ſcopumq; ſibi habeat propoſitum, mirum haud erit, ſi modus quoque collectionis diverſus fuerit ac multiplex. Equidem uti impoſſibile eſſe nemo non fatebitur, enumeratione quapiam abſolutiſſima

res

res univerſas ſingulasque Phyſiotechnotameis inferendas non tantum animo ſuo complecti, ſed calamo etiam exprimere, aut voce enumerare, ita profecto difficillimum eſt, rationem modumque exponere, juxta quem collectio earum inſtituenda foret. Ne tamen omni prorſus ſubſidio conſiliove res curioſas colligendi avidum privare videar, ſuffecerit, mea quidem opinione, una alteraque duntaxat ratione res curioſas colligendi prolata, alios quosque earum cupidos, ad alios ſubinde aliosque colligendi modos concipiendos, inveniendos, atque proferendos excitare.

II.

Nimirum *alium* res colligendi modum publicum, *alium* eſſe privatum, h. e. *alium* Principibus & nobilibus perſonis, *alium* Reipubl., Civitati, Univerſitati, atque Academiæ, *alium* Doctoribus, Profeſſoribus, & Literatis, *alium* Mercatoribus atque Negotiatoribus, *alium* Artificibus & Opificibus, *alium* divitibus ac opulentis, *alium* alius ſortis, conditionis, ac ingenii hominibus convenire dixerim, prout nempe nunc hæc, nunc alia cupiditas ſeu delectatio, ad hoc aut illud acquirendum atque cuſtodiendum quemlibet ſtimulaverit. Deinde alia colligendi ratio ſeſe offeret, quando res *vel* tardius, *vel* citius, *vel* ſimul, conjunctim, eodemque tempore, *vel* ſucceſſive, cunctanter, oblata occaſione, unaque poſt aliam, *vel* ex propoſito, *vel* ex accidenti, *vel* magno, *vel* parvo, *vel* nullo pretio, *vel* ex longinquo, *vel* ex proximo, *vel* domeſtico loco, *vel* facile, *vel* difficulter, comparari, acquiri, & obtineri queunt. Taceo plura alia, quæ ſagax cujusvis collectoris prudentia, à fine non minus ac occaſione fortunaque, aut aliunde petita media, ſponte ſua haud negliget inveſtigare.

III.

Primarius ferè *colligendi modus* eſt *Peregrinatio:* Voce namque aut calamo exprimi ſatis non poteſt, quantum ex

 ea

ea prudenter inſtituta emolumenti atq; augmenti in Technophyſiotamea quælibet derivetur : quod ipſum ſane eo clariùs demonſtrari poſſet, ſi ad potiora duntaxat hinc inde locorum naturæ artisque obvia miranda maxime opera enumeranda deſcendere arctior Philyrarum huic argumento deſtinatarum numerus permitteret. Ingenio autem talis peregrinator potiſſimum valeat, neceſſe eſt, ut non tantum res rariores nominibus ſuis ſignatas inquirere, ſed æſtimatione etiam debita metiri queat. Quapropter optimum fuerit, libellum aliquem in promtu habere, cui res indagandæ, comparandæ, aſportandæ, & aſſervandæ, accurate inſcriptæ, memoriam, ſicubi deficeret, refricare poſſint. Enimvero *Quicchebergum in Theatro* ſuo, *myriades aliquot nominum*, ſpecialem omnium pene materiarum Pinacothecis inferendarum enumerationem complectentium, promiſiſſe, jam ſupra monitum eſt, eas tamen lucem quoque aſpexiſſe publicam, aſſerere nequeo: Sic probe etiam animo meo teneo, *πολυμαθέστατον J. D. Majorem l. c. cap. 3.* ſecum conſtituiſſe, *Inventarium aliquod univerſale*, rerum præcipue naturalium, tam intra, quam extra Europam, in occultis naturæ viſceribus abditarum conſignare, an vero manu eidem admota illud ipſum penitus effecerit, in meam huc usque notitiam haud pervenit : Certe utiliſſimus uti labor ejusmodi foret, ita à curioſis rerum talium collectoribus votis ſemper expetitus fuit calidiſſimis.

IV.

Secundarius colligendi res in Muſeis aſſervandas *modus* eſt, *Commercium Epiſtolicum:* Cum enim *nunc* facultates, *nunc* valetudo, *nunc* ætas, *nunc* officii ratio, *nunc* locorum diſtantia, *nunc* viarum difficultas, nunc alia quæque obſtacula, pericula & cauſarum momenta peregrinationi ſuſcipiendæ remoram injiciant, obicemque quaſi ponant, divinum prorſus inventum eſſe reor, mentis ſuæ cogitata & deſideria, literarum ope cum aliis communicandi. Quamobrem celebrio-

lebrioribus in orbis Europæi urbibus Fautores & Amici ſedulo eligendi, inque iis præcipue Mercatores, qui votis, inquiſitionibus, & petitionibus in epiſtola factis annuentes, res in ea forte commemoratas & expetitas, ſi non mittere ilicet, procurare ſaltem, vel indicare queant, quo in loco easdem reconditas liceat invenire, quo pretio veneant, quaque occaſione mittantur. Profecto diligenti & frequenti Epiſtolarum miſſione plus ſæpe, quam peregrinatione ipſa impetrari, præſertim ſi res deſideratæ diſtincte ac perſpicue propoſitæ fuerint, experientia tantum non quotidiana teſtatum fecerit.

V.

Præterea ſtudioſa plurium *librorum evolutio lectioq;*, haud exiguum collectioni hujusmodi rerum curioſarum promovendæ afferet auxilium, quippe vulgatum juxta par hoc diſtichorum:

Lectio librorum quævis fert commoda ſecum,
ſuggerit ac aliquid quotidiana novi.

Itemque:

Adjicit heſternæ plerunq; hodierna novi quid
lectio, præteritæ eſt luxq; magiſtra ſequens.

Et ſpeciatim quidem Hodœporica, nec non rerum naturalium ac artificialium deſcriptiones continentia, aut quocunque modo earum argumenta illuſtrantia volumina diligenter ſunt terenda atque excutienda: quibus operæ pretium fuerit adjungere *Catalogos, Indices, Conſignationes, Tabulas, Promtuaria*, & quæcunque tandem qualicunq; nomine titulove inſignita, & typis excuſa, materiarum rerumque in Muſeis, Theatris, Conclavibus, & Pinacothecis hinc inde aſſervatarum opuſcula: ex iis enim haud perfunctorie perlectis, notitiam non tantum rerum colligendarum comparari ampliſſimam, ſed anſam quoque in eas inquirendi, & de iis hinc inde ſciſcitandi haud contemnendam ſuppeditari certiſſimum eſt: ignoti

enim

enim uti alias nulla eſt cupido, ita multo minus deſiderium quoddam excitabitur modi alicujus excogitandi ad quidpiam acquirendum, congregandum, & in loculamenta ſua diſponendum. Tali autem res curioſas colligendi modo uſus fuiſſe perhibetur *Nicol. Anton.* ſive, *Colantonius Stelliola, Nola Italus*, maximorum olim Virorum, *Scipani, Severini* &c. Præceptor Clariſſimus, cui ex aſſidua plurium de rebus naturalibus æq; ac artificialibus agentium librorum lectione, ingens omnium primo deſiderium in animo excitatum eſt, res quaſdam rariores comparandi, aſſervandi, atque decenter ordinandi, ex qua deinceps quaſi ſcaturigine famoſiſſimum illud Muſeum exortum eſt, quod *Ferrandi* ſub *Imperati* nomine adhuc hodie Neapoli in Italia celebratur.

VI.

Modum quoque res curioſas colligendi jucundum non minus ac facilem ſubminiſtrabit *Converſatio :* ex ea quippe tantus in omni vita humana fructus plerunque percipitur, quantus vix aliunde ſperari, aut votis etiam fingi poteſt: præſertim ſi cum doctis, expertis, prudentibus, ſinceris, bonis, facilibus, & ad eundem ſcopum collineantibus Viris, eadem inſtituatur. Quod ipſum ſine dubio Itali ſecum expendentes, judicium de Scientia & Virtute alicujus ferendum eſſe cenſebant, prout ipſi vel rarior, vel frequentior cum doctis & virtuoſis uſus fuiſſet atque conſuetudo; hincque vulgare apud ipſos ſæpe audias dicterium : *Di mi con chi ſtai, e ti dirò quel che ſai.* Enimvero conſuetudinis vis quo arcanior, eo eſt penetrabilior, neque fructus aliunde, ſi præſertim fini eadem conveniens & propoſito inſerviens, diuturna inſuper fuerit, major eſt ſperandus aut percipiendus. Nimirum uti quæ ipſis oculis ſubjecta ſunt, magis, quam ſolis auribus hauſta, animos noſtros afficiunt, ita plus intelligentiæ, prudentiæ, ſcientiæ, ac notitiæ, ex converſatione ſæpe naſcitur erudita, quam ex ſola innumerorum etiam voluminum,

codi-

codicumque lectione. Colloquium autem de iis potiſſimum rebus habendum erit, quarum particeps quis fieri quam maxime exoptat: tali enim ratione, tum conſilia oppido ſalubria ſuggeſta audientur, tum variæ opiniones prolatæ innoteſcent, tum media expiſcabuntur, quibus res deſideratas liceat nanciſci. Quemadmodum verò paulo ante *in §. 4.* datum eſt conſilium, de epiſtolico cum celebriorum urbium Mercatoribus colendo commercio, ita in id præcipue animus quoque intendendus eſt, ut eorundem familiaritate implicati, de rebus, quas comparare nobis propoſuimus, crebriores cum ipſis ſermones communicemus. Mercatores enim quæſtum in rebus facturi, & ad opes aliquas luculentiores emerſuri, quidquid uterque Indus, Arabs, Tagus, Nilus, Tiberis, Tameſis, Danubius, Rhenus, Mœnus, Moſchus, Iber, Sequana, divite producit ſinu, quidquid Oceano, Inſulisque omnibus natum & prolatum, non minore ſtudio, quam periculo conquirere laborant, hincque opportunitas rei cupitæ acquirendæ oritur commodiſſima æque ac certiſſima.

VII.

Alia tamen colligendi ratio ab illis obſervanda & ſectanda erit, qui non univerſalia aliqua, ſed particularia duntaxat & aliqualia, rerum forte fortuna oblatarum, domi obviarum, facileque parabilium Conditoria inſtituere, Muſea adornare, & Conclavia ſegregare intendunt. Nimirum incidas in aliquos, qui *vel* diverſas ſeminum ſpecies, *vel* multiplices florum picturas, *vel* varias inſectorum figuras, *vel* inſignes lapidum, ſilicum & calculorum differentias, *vel* alia quæque ſibi placentia conquirere & aſſervare ſtatuerunt, quorum certè nemo non particeps fieri poteſt, ſine magno aliquo impendio, aut opera difficiliore. Sic *Noribergæ* ſuperioribus annis *Matrona aliqua* vitam degens, in ſolis *papilionibus*, vermibus illis alatis colligendis operam ſtudiumque inſumebat, ex quibus conveniente liquore imbutis, papyroque agglutinatis, tria Volu-

mina grandiora repleta poſſidebat. Sic *Marina Pfiſtera,* fœmina quædam honeſtiſſima, minutas æreas ſtatuas & imagunculas varia ex materia elaboratas indefeſſo ſtudio acquiſitas aſſervabat, ſimulque ſua manu recens fuſas identidem iis addebat, prætereaque ingentem inſtrumentorum tornatilium, fabrilium, pictoriorum, mathematicorum, quin & muſicorum apparatum congeſtum habebat. Sic in ſola alarum ex Muſcis minoribus & majoribus decerptarum collectione hodie aliquem *Amſtelodami* voluptatem ſuam explere, atque in varios earundem characterismos inveſtigandos ferri, peregrinatores nonnulli tradiderunt. Sic *Altdorffii* occaſio eſt facillima, lapidum illorum naturæ torno veluti aliquo formatorum, effigiemque Cornu Ammonis impreſſam quaſi repræſentantium, accumulandi & conſtruendi acervum ampliſſimum. Sic alia alibi ſuppetunt media, ſpeciali cujusvis inſtinctui, inſtituto, ac deſiderio opem allatura haud pœnitendam.

VIII.

Non inſolens adeò aut infrequens quoque eſt, ab Advenarum, Hoſpitum, & Spectatorum liberalitate, acceſſionem aliquam, ac augmentationem fieri Muſeorum: eſt quippe ingenium nonnullorum fere ita comparatum, ut quando alicubi res tam multas, varias, & curioſas vident cuſtodiri, inque loculamenta ſua diſtinctas & repoſitas intuentium oculis exhiberi, ultro & ſponte ſua aliquid, in benevolam ſui nominis recordationem, iisdem inferant, ſuperaddant & adjiciant, ceu vel ex unico nobilis illius Poloni, *Habdankii* cognomen adepti, annulo aureo ex digito detracto, & viſo Imperatoris Gazophylacio injecto, patere poteſt: cum enim Henricus V. Imper. magnam auri argentique vim in menſa expoſitam Scarbicio Boleslai Poloniæ Reg. Legato oſtentaſſet, addens, *Hic Polonos perdomabit:* Legatus annulum digito exemtum acervo adjecit, dixitque: *Jungatur Aurum Auro.* Quo ſcommate nil offenſus Cæſar, German. lingua gratias illi egit,

Hab

Hab Dank. A quo tempore Scarbicio nomen Habdankii ad poſteros usq; permanſit. Ut taceam Præfectorum vel Poſſeſſorum ejusmodi Muſeorum exporrectam frontem, placidos oculos, commodos limatosque mores, affabilitatem, humanitatem, philologiam & benevolentiam, illicia eſſe præſentiſſima rerum acquirendarum, præſertim amicabili quapiam ſub abitum adjecta compellatione, de memoria nominis, Rei alicujus aſſervandæ oblatione, in Muſeo viſo ſtatuenda ac relinquenda.

IX.

Denique generalis, optimus, facillimus, certiſſimus, & fere unicus Res quascunque Muſeis inferendi modus à præſenti ſemper, ſufficiente, promta, & parata pecunia, ceu ſcaturigine quadam uberrima derivatur. Sane pecunia, in rebus etiam abjectiſſimis, viliſſimis, leviſſimis ac ubivis obviis, in varietate quidem copiaque obtinendis, carere prorſus non poſſumus, ſaltem indirecte & per accidens: Ponam enim, papilionibus, vel aliis minoris momenti rebus congerendis operam ab aliquo impendi, an ſine ullo pecuniæ adminiculo eam, ex voto de iis concepto, abſolvi poſſe arbitraberis? Nempe ut paucis multa complectar:

Mundus hic eſt Pelagus, Regina Pecunia Nauta eſt;
Navigat infelix, qui caret hujus ope.

CAP. IX.

De Conflagratione Technophyſiotameorum.

§. I.

ETſi damna, detrimenta, diſpendia & pericula, quibus Technophyſiotamea, juxta cum aliis rebus mundanis expoſita ſunt, tam multiplicia eſſe ſcimus, ut non facile numerus eorum omnium ac ſingulorum iniri queat, tamen cum

ita pleraque ſe habeant, ut non difficilis adeò, fortuna maxime, temporeque diuturniore, annuentibus, amiſſorum ſit reparatio, iis heîc recenſendis, aut fuſius exponendis haud immorabimur, ſed de illo tantum Technophyſiotameorum interitu aliqua afferre placet, qui ex rabioſa Vulcani ſævitia ortus, incendio ea omnia conſumit, totaque in cinerem convertit: quorum certe jactura, abolitio, interitus & conflagratio, tanto funeſtior eſt & pernicioſior, quanto longius tempus, faventior fortuna, & majores ſumtus requiruntur, ad plenariam rerum omnium & ſingularum in iisdem flammæ violentia conſumtarum, recuperationem, redintegrationem, & reſtitutionem.

II.

Ex omnibus autem iis, quæ unquam incendio periere, Technophyſiotameis, Pinacothecis, Muſeis; atque Gazophylaciis, non poſtremum occupare videtur locum, inſtructiſſimum olim illud rerum naturalium artificialiumque Promtuarium à *Ptolomæo*, Ægypti Rege in Alexandria urbe ejus famoſiſſima inſtitutum: id ipſum enim quin una cum Bibliotheca ſeptingentorum millium librorum ignis pabulum factum ſit, vel ideo dubium eſſe nequit, quod in contigua bibliothecæ domo aſſervatum, incendii vehementiam haudquaquam potuerit evitare. Ceterum de Bibliothecæ incendio Lipſium in Tr. de Biblioth. juvat audire: Totum, ait, hoc, quicquid fuit Librorum, bello civili Pompejano periit, cum Cæſar in ipſa urbe Alexandria bellum cum incolis gereret, & tuitionis ſuæ cauſa, ignem in naves miſiſſet, qui & vicina navalia, ipſamque Bibliothecam, comprehendit & abſumſit.

III.

Salomonis Regis illius Judææ, omnes ſuæ ætatis homines & opulentia & ſapientia antecellentis, Technophyſiotameum Hieroſolymæ excitatum, tam pretioſis rariſque rebus inſtructum fuit, ut ei ſimile vix in mundo unquam extitiſſe putandum

dum ſit, quippe ad quod regio apparatu augendum, Naviga-
tio in Ophir ſingulis trienniis directa, haud exiguum ſubſi-
dium ac incrementum afferebat; in navibus enim illius *pul-*
cherrima quæq; Regum & Regionum, Arabica quidem ex *Eccleſ.*
C. 2. verſ. 8. interpretatione, Germanice quis diceret, die
ſchönſte Sachen/ von Königen und Ländern. *Lutherus* reddidit:
Von den Königen und Ländern einen Schatz: id vero in exci-
dio Hieroſolymitano, una cum templo Domini & Palatio
Salomoneo, ſpoliatum, direptum, combuſtum, & ad incitas
redactum eſſe, præter Judæos, alii etiam populi ſæpius inge-
muerunt.

IV.

Ezechiæ Regis Judæ nominatiſſimi Gazophylacium pariter,
ac Phyſiotechnotameum, vim flammarum bellicæq; direptio-
nis rabiem experta, exemplum itidem præbere queunt fluxa-
rum hujus mundi rerum luculentiſſimum: conf. ſupra C. II.
§. 6. quibus addas licet ex *Major. l. c. C. 7.* Was iſt das an-
ders/ als ein Exempel eines illuſtren Königl. Schatzes/ und Rari-
täten-Gemachs? Oſtendit ſcil. Legatis ſecundum verſionem
gallic. *Tous les Cabinets*, & juxta Font. Hebr. *Domum Pinaco-*
thecæ ſuæ. Nimirum, judaica quidem ex traditione, & veſti-
menta, & arma, & monilia, & alia quæque corporibus in
exercitu Sennacherib ab Angelo Domini cæſorum detracta,
Ezechias in Gazophylacia ſua, ob ingentia Aſſyriis ſoluta tri-
buta penitus exhauſta inferens, Babyloniis Legatis ea oſten-
tavit: quæ verò omnia ignis inclementia atque vehementia
ſummo cum mortalium detrimento penitus perierunt.

V.

Bibliothecæ Byzantinæ ſive CPtanæ conflagratio, quæ
CXX mille librorum continebat, & quæ potiſſimum à Theo-
doſ. juniore Cæſ. Rom. amplificata & aucta eſt, incendio
conflagravit A. C. 474. tempore Baſilii Imper. tum Orient.
incendio in foro Fuſorum æramentariorum exorto, quod

 maxi-

maximam urbis ampliſſimæ partem devoravit: in qua quidem flammarum violentia, præter Codices Arabicos MSS. præſtantiſſimos, aliarumque Linguarum exoticarum volumina inſigniſſima, Naturæ etiam ac Artis haud pauca opera, maximo ſtudio, longoque tempore conquiſita & aſſervata, ignis vehementia interiiſſe, tanto veriſimilius eſt, quanto majore cum ſævitia latiſſime diffuſum obvia quæque pretioſiſſima, rariſſima, quin & abditiſſima depaviſſe, Hiſtoriarum monumenta prodiderunt.

VI.

Theatro rariorum rerum Regiis pene *Alb. Bavariæ Ducis* impenſis *Monachii* olim conſtructo ac erecto, incendium fortuito in urbe exortum, deplorandam intuliſſe cladem, elegantioris literaturæ Viris ignotum eſſe nequit: quod quidem Theatrum propter infinitum ferè ſelectiſſimarum rerum complexum, & diſpoſitionem earum ordinatiſſimam, plerasque alias Germaniæ Pinacothecas quamplurimis poſt ſe paraſangis reliquiſſe tum dicebatur; de quo non inelegans alias etiam eſt *Eraſm. Vendii* Tetraſtichon hocce encomiaſticum:

Si quid habet rari vaſtis complexibus Orbis,
æmula Naturæ Boja Theatra tenent.
Principis Alberti *fulgent monumenta benigni,*
excelſæ mentis ſunt ſimulacra ſuæ.

VII.

Bartholinorum nomen ob multiplicia, eaque oppidò egregia in Rempubl. literariam merita, gloriæ famæque nunquam intermorituræ Fano jam dudum illatum, certe graviſſimam videri poſſit paſſum fuiſſe jacturam, quando hos ante 30 & quod excurrit annos, *Thomæ Bartholini*, Medici Naturæq; Myſtæ excellentiſſ. Bibliotheca, una cum rariſſimis Naturæ ac Artis Operibus magno numero pretioque congeſtis, Hafn. Danorum, incendii valentiſſimi facta eſt alimentum, de qua qui-

quidem flammarum rapacitate ipſum Bartholinum de Bibliothecæ ſuæ incendio p. 32. & alibi etiam differentem legiſſe haud quempiam pœnitebit: Tantum tamen abeſt, ut famæ quicquam nominis ſemel parti inde amiſſum fuerit, ut potius, rerum licet concrematarum irreparabili cum damno, illuſtrius multo eadem exſplenduerit.

VIII.

Verbis inſuper exprimi ſatis nequit, quantum qualeque detrimentum Respubl. ceperit literaria, partim ex incendio Gedanenſi, *Joh. Hevelii*, Mathematici excellentiſſ. Bibliothecam exquiſitiſſimam, una cum omnibus inſtrumentis Mathematicis ac naturalium rerum theſauris miſere depaſcente, partim ex combuſta, inque cineres redacta *Olai Rudbeckii*, Medici Vpſalienſis famigeratiſſimi, Bibliotheca pariter ac Pinacotheca inſtructiſſima: Præterquam enim quod Opera ad prelum parata quamplurima, inque iis præcipuè Opus Botanicum, una cum Hiſtor. Rer. Natur. Suecic. atque Antiquit. Vplandic. flammarum voracitate abſumpta ſunt, profecto exotica etiam haud pauca remotiſſimis ex Orbis partibus congeſta, maximoque ſtudio aſſervata, in fumum abeuntia, penitus interierunt.

IX.

Quod Auguſtæ Taurinor. vulgo *Turini*, urbe illa Italiæ Transpadanæ in Alpium radicib. ſita elegantiſſima, hos circiter ante 50 annos, in ipſo Duc. Sabaudiæ Palatio magnificentiſſimo, igne concepto, in pleraque penetravit conclavia incendium, inter alia Cimelia æſtimatiſſima, Pinacothecam quoque, vulgò *Galleriam* appellatam, ingenti cum Naturæ Artisque cultorum exitio correptam, penitus conſumſit ac delevit: qua ipſa quidem deflagratione, præterquam quod ipſe Dux Sereniſſ. plurimum cepit detrimenti, profecto res etiam amiſſas, inque cinerem redactas eo difficilius reparare licebit, quo majore dignitate, raritate, ac nitore pleræque earum commendatæ fuiſſe dicuntur. Prætereo, brevitatis cauſa,

alias

alias alibi locorum obſervatas & notatas, tam publicorum, quam privatorum Cimeliarcheorum, Muſeorum, & Technophyſiotameorum exuſtiones, concremationes, interitus ac occaſus.

Cap. X.
De Præfectis Technophyſiotameorum.

§. *I.*

FAcilius equos, ignaro habenas tractante, metam conſecuturos autumaverim, quam Technophyſiotameum, præſertim publicum, ſine ullo prorſus vel inſtitui, vel digeri, vel conſervari poſſe *Præfecto aut Inſpectore*: (qui in Germanic. quibusdam Scriptis, ein Kunſt-Kämmerer und Auſſeher / item / ein Raritäten-Kammer-Inſpector, item / ein Naturalien-Kammer-Præfectus appellatur,) ut enim taceam, quamlibet rerum collectarum cuſtodiam ſuo indigere Præfecto, ſi non ſpeciatim ſemper ad functionem ejusmodi conducto, generatim tamen tali homine, qui & comparet, & colligat, & ordinet, & conſervet, & augeat res, votis vel ſuis, vel alienis, expetitas; profecto in publicis maximè illis rerum curioſarum receptaculis, à Principibus ſeu Rebus publ. inſtitutis, tanta quoque Præfecti eſt neceſſitas, quanta Solis eſt in diei lucidioris reductione ac illuminatione. Ponam nempe, Præfectum vel plane nullum eſſe, vel ſaltem non adeſſe: quæ amabo in ſpectatores ſolitarios derivabitur utilitas? quæ in rerum collectione expectabitur dexteritas? quæ in ordinatione earum obſervabitur concinnitas? quæ in conſervatione adhibebitur circumſpectio ac prudentia? quæ in augmentatione impendetur ſolicitudo ac induſtria? Sane idem pene fuerit Technophyſiotamea prorſus non perluſtraſſe, quam vaccæ inſtar, ſolis oculis, deficiente & abſente ductore, monſtratore, doctore, interprete, expoſitore atque præfecto, eadem otioſe ac negligenter uſurpaſſe.

II. Neque

II.

Neq; verò Præfectum talem ex quolibet ſtatim ligno fingi poſſe temere quis ſibi velim perſuadeat: *aliud* quippe longe eſt, Cuſtodis, Janitoris, Reſeratoris, & Obſeratoris obire partes; & *aliud* rurſus eſt, Præfecti, Informatoris, Doctoris, & Interpretis fungi officio: illorum gregi quin Opifices, Artifices, Torneatores, Horologiarii, Scriniarii, Fabri Ferrarii, ſimilesq; Perſonæ queant accenſeri, nullum eſt dubium; horum tamen Catalogo alios inſertos velle, quam Viros variis expertos peregrinationibus, & omnibus in Scientiis Artibusq; verſatiſſimos, neſcio annon Ἀκρισίας oppidò culpandæ manifeſtum foret indicium. Nimirum in quolibet Pinacothecæ Præfecto uti præter Scientiam ampliſſimam, & Peregrinationes prudenter inſtitutas, notitia rerum diffuſisſima, ita diligentia quoque requiritur pertinaciſſima, & opera tantum non Herculea; illa quidem, rerum velificando tùm indagationi, tum comparationi, tum collocationi, tum explanationi, atque dilucidationi; iſta autem muneri debite ſatisfaciendo, ac Spartæ laudabiliter non minus ac utiliter obeundæ manus porrigendo auxiliares.

III.

Ante omnia literis probe excultus ſit Muſei Præfectus neceſſe eſt, atque juxta variarum Linguarum exoticarum, Gallicæ inprimis, Italicæ, Hiſpanicæ, Anglicæ, Belgicæq; aliqualem notitiam, in Latino potiſſimum Græcoque ſtadio progreſſus fecerit haud proletarios; quibus ſi Sclavonicæ, Polonicæ, Bohemicæ, Illyricæ, Hungaricæ, Rusſicæ, Gothicæ, Runicæ, Svedicæ, Laponicæ, Islandicæ, ſimiliumq; lingg. ſuperficiaria duntaxat aliqua acceſſerit cognitio, næ multum commodi in rimandis, perveſtigandis, & enucleandis tum literis, tum numis, tum typis, tum picturis, tum ſculpturis, in ſe redundare ſentiet: Neque Hebrææ, Rabbinicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Perſicæ, Æthiopicæ, Samaritanæ, Ægyptiacæ, Sinenſis, aliarumque iis affinium linguarum ignarum eum eſſe velim, non tam ad evolvenda perlegendaque tali dicendi charactere exarata Volumina, & ad res ex earum regionibus abſtruſiores, rariores, & æſtimatiores

indagandas, congerendas ac diſponendas, quam ad Elementa ejusmodi linguarum inquirenda, comparanda, ordinanda & asſervanda, denique ad res quascunque characteribus ejusmodi inſignitas ſpectatoribus oſtendendas, explicandas atque declarandas.

IV.

Egregiam quoque notitiam Præfectum habere oportet utriusque Hiſtoriæ, Antiquitatum maxime plerarumque gentium, Numismaticæ, Heraldicæ, Rei Veſtiariæ, Coquinariæ, Vtenſilium, Opificiorum, Inſtrumentorum, tum bellicorum tum muſicorum, Philologiæ, Philoſophiæ, Matheſeos, Picturæ, Chalcographiæ, Medicinæ, ac Eloquentiæ, hisce quippe ſubſidiis atque præſidiis inſtructus, non tantum occaſionem ſibi identidem offerri animadvertet, cogitationes de varia novaque ſemper rerum collectione ſuſcipiendi, ſed animo etiam ipſius ſpecies obverſabuntur, ad quas quacunque ratione nanciſcendas omni ope annitetur. Ut taceam Præfectum talibus Scientiis Artibusque imbutum, comitibus præſertim comitate & affabilitate, facilius admittere, diutius retinere, & nonniſi oculis animoque exſaturatis, dimittere ſpectatores: qualicunque enim de argumento forte ſermo ab iis cædatur, ſtatim affine quidpiam illi, aut ſaltem non multum ab eo abludens, in promtu erit Præfecto afferre, cœptoque vires eundi addere diſcurſui: qua ratione deinceps fieri facile poteſt, ut ſæpe in ejus rei cognitionem provehatur, cujus nunquam alias inveſtigandæ, nedum comparandæ, cura ſtudioque actus aut ductus fuiſſet.

V.

In *Experimentali autem Philoſophia, atq; rerum Phyſiotechnicarum cognitione,* tantum abeſt, ut Præfectus Muſei hoſpes ſit, ut potius in iisdem proram illi puppimque autumem eſſe collocandam. Sane, cum *Natura* omnium rerum parens ac altrix ſuas ubique opes reconditas habeat, Theſauros prodat, Veneres explicet, ac Formas rerum omnigenas mira feracitate effundat; Filia profecto ejus *Ars*, tam enixe, operoſe, ſtudioſe, impenſe, & præfracte tantum non omnia ſingulaque æmulari conatur, ut nihil

nihil ferè intentatum ab ea, inexpertum, neglectum, prætermitum, aut omiſſum videri poſſit: quam etiam ob cauſam Præfectum ejusmodi accurate noſſe decet, potiora & extantiora tum Naturæ, tum Artis opera, eorumque appellationem, conſtitutionem, formationem, ſtructuram, naturam, vires, fines, uſum, varietatem, æſtimationem, inventionem, nomina locorum, ex quibus allata, cognomina hominum, à quibus comparata, artificum etiam, à quibus elaborata, & quæ alia, vel ſimilia, ſcitu relatuque circa eadem digna occurrerint.

VI.

Præterea vellem, ut Præfectus in *Mechanicis* nonnihil profecerit, dici enim ſatis non poteſt, quantum ex tali notitia, proprioque manuum adhibito miniſterio, in Technophyſiotamea redundet emolumenti. Hinc Præfectus haudquaquam à ſe alienum, aut minime ſibi conveniens eſſe putabit, aut tanquam prorſus indecens averſabitur, penicillo, ceruſſa, rubrica, creta, carbone, torno, malleo, cælo, graphio, ferrumine, glutine, terebra, dolabra, torculari, filo, fibula, lima, cultro, ſerra, forcipe, ſimilibusque inſtrumentis, rebus tum naturalibus, tum artificialibus, rite adaptandis, uniendis, combinandis, integrandis, ordinandis, collocandis, mundandis, limandis, poliendis, coagmentandis, diſſecandis, delineandis, ſcalpendis, cælandis, adumbrandis, attenuandis, terebrandis, excavandis, decurtandis, prolongandis, & quocunque tandem modo, præparandis, diſponendis & cuſtodiendis, operam inſumere, diligentiam adhibere, officium adminiſtrare, induſtriam exſerere, & manus, prout neceſſitas exegerit, omnibus rebus admovere. Nimirum *J. Dan. Majore loc. cit.* prudenter admodum monente; Die Præfecti der Raritäten-Kammern müſſen ihnen ſelbſt die Mühe nehmen/ bald dieſes/ bald jenes/ mit eigner Hand zu zeichnen/ zu projectiren/ ins kleine oder groſſe zu bringen/ zu ſchleiſen/ ätzen/ drähen/ hämmern/ ſchmelzen/ löthen/ treiben/ bilden/ ſchnitzen/ hobeln/ poliren/ ſolviren/ reinigen/ coaguliren/ hefften/ bohren/ preſſen/ und dergl. nachdem es bald die/ bald eine andere Beſchaffenheit/ bald dieſes/ bald jenes natürlichen Cörpers erfordert/ ſo anders alles ſoll nette/ bequem und ſchön in richtiger Ordnung ſtehen.

VII. Cete-

J70+
H726d
1-SIZE
90-145

VII.

Ceterum *Officium Præfecti duplex* eſſe dixerim, *alterum* ſcil. *primarium*, indefeſſo res curioſas acquirendi ſtudio teneri, res ſingulas acquiſitas ordine, eleganter, commode & accurate diſponere, libro eas conſignatas, quin & nonnunquam depictas, habere, memoria firma illas ipſas recondere, de iis inde, occaſione quacunque oblata, depromtis, ſermonem miſcere cum ſpectatoribus, vires & facultates earum recenſere, naturalium pariter ac artificialium originem, varietatem, qualitatem, modos, finesque enarrare, defectus forte in rerum congerie repertos ſupplere, novis ſemper illatis rebus numerum augere, & præter alia adhuc plurima officii recte obeundi requiſita, ſpectatores verborum morumq; comitate, facilitate, ac modeſtia allectos detinere. *Alterum*, nempe *ſecundarium* officium erit, res aſſervatas, à nebula, pluvia, nive, procella, omnibusque aëris injuriis immunes præſtare; à muribus, tineis, blattis, pulicibus, culicibus, cimicibus, teredinibus, araneis, muſcis, papilionibus, & quibuslibet noxam aliquam inferentibus inſectis, defendere, liberare, purgare, mundare, conſervare; lacera, ruptaque connectere, coagmentare, & integrare, omniaque ita adornare, & præparare, ut aſpectu ſemper jucunda, poſſeſſione utilia, ſcitu digna, uſu obvia, & ſcopo convenientia eſſe queant.

VIII.

Denique ut haud alii, quam huic uni, cui ornandæ præeſt provinciæ, Præfectus vacet, neceſſarium eſſe duco: ſane pluribus aliis vel officiis, vel laboribus, vel negotiis, vel meditationibus, vel cogitationibus, vel ſtudiis implicitus, deditus ac diſtentus, minime eam, quæ rerum ejusmodi cuſtodiæ impendenda foret, curam adhibebit, ſed pluribus aliis, toto præſertim, ceu dici alias ſolet, cœlo diverſis intentus, minor æque ad ſingula ſenſus, ac adminiſtratio curatioque negligentior erit. Curam ergo Technophyſiotameis dignam Præfectus geſturus, ab omni alio negotio expediendo immunis, & Salario ſufficiente inſtructus eſto, alias enim aliunde & ex re alia, quam cui præeſt, victum & amictum quærere coactus, minime ſolicitus eſſe poteſt, de legitima, juſta, debita, ordinata & accurata Technophyſiotamei diſpoſitione, augmentatione, mundatione, conſervatione ac propagatione.

IX.

Verum enim verò, uti expediri omnia in illuſtri hoc & ampliſſimo argumento occurrentia, tantillo vel temporis ſpatio, vel philyrarum complexu nequeunt, ita præſenti non tam labore, quam aliquali conatulo Lectorem hac vice, ſi non contentum futurum, aliquantiſper tamen graviora ſua ſtudia interpolaturum confido, donec majora, plura & accuratiora, de eademmet materia commentandi, tum DEVS, tum dies, tùm quies, tum pax, tum fortuna, tum alia negotia permiſerint. Interea veluti in exordio, ſic in fine pariter, cuncta huc usque commemorata & prolata, cujuslibet captui, deſiderio, voluntati, affectui, judicio & arbitrio relinquens, unico Diſticho toti Opellæ finem impono:

Seu placeat, ſeu diſpliceat præſens mea Opella:
Non curo, ſiquidem nec mihi quæq; placent.

90-145
LII